ATHANAS
DE FILIO DEI
EXCERPTUS
A STORNING

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

1,-474

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01986 5

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Divi ATHANASII,

Archiepiſcopi Alexandrini,

De

ÆTERNO DEI VERBO, DEI HOMINISQUE FILIO,

Doctrina,

Ex quinque ejus Orationibus in Arianos excerpta & Aphoriſmis digeſta

ab

HENRICO STORNING,

Cœnobii Prezenſis Paſtore.

KILONII,

Typis JOACH. REUMANNI, A. 1673.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Ad

JESUM CHRISTUM,

Æternum Æterni Patris Filium,

Totius humani generis Redemptorem & Soſpitatorem unicum.

JESU, Fili DEI Vivi, Æterni & inacceſſi Paterni Luminis Hypoſtatice Splendor.

Magnitudinem tuam qui conſiderat, ab ſe aliquid tantâ Majeſtate dignum proficiſci poſſe deſperat. Beneficia qui metitur, ſilere de te non debet. Exilitatis autem humanæ & indignitatis qui memor eſt, oculos ad Faſtigium tuum cœlis excelſius elevare erubeſcit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Quid ergo faciet pulvis & cinis in conſpectu Optimi, Maximi? Ecce Domine Dominantium, inter omnes tuas miſericordias, quæ ſingulæ æſtimationem noſtram excedunt, hanc puto planè ſingularem, quod Celſitudo tua adeò ſe miſellis nobis familiarem præbet, ut vel ex infantium ore Laudem ſibi perficere non dedignetur. Hæc tua, nullis non ſeculis prædicanda Philanthropia facit, ut exiguum hoc coram te proferre audeam.

Probè mihi conſcius es abditorum ſcrutator, non me ſcripturiendi prurigine, electi tui Organi Athanaſii ſcripta legenda occepiſſe, ſed ut, cum in iis, quæ de Adorando incarnationis tuæ Myſterio Orthodoxi noſtro ævo Viri Chemnitius, Hunnius, Menzerus commentati ſunt evolvendis verſarer; in uno atque altero ſuperiorum ſeculorum Scriptore, ſanæ Doctrinæ Harmoniam quandam intuerer. Hoc autem agenti, accidit, quod olim piæ Proſelytæ Ruth, uti enim ipſa ſparſas lectura ſpicas, integros frumenti modios domum referebat, ita dum ſententiolis excerpendis, tanquam modico rori inhiabam, divinarum rerum quodam quaſi nimbo ita circumfundebar, ut, quod omitterem, vix reperirem.

Totam igitur de te DOMINO ac SALVATORE noſtro doctrinam, quinq; Orationibus vel Libris contra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

tra Arium, à Viro, quem tu magno ad id opus Spiritu, ingenio, & animi magnitudine inſtruxiſti, pertractatam & defenſam, intra Aphoriſmos hoſce Synopticos contrahere animum induxi.

Quod dum facio, & nullius, niſi tuo, Fili DEI, *Nomine haſce perſonare pagellas, æquum exiſtimo: Accipe quæſo* DOMINE MI & DEUS MI; *id quod clementer dediſti. Dona enim tua tibi confiteor ac offero. Si quid hîc boni eſt, quod omne à te eſt, gratiosè ſuſcipe. Quicquid ſive neglectum eſt ſive excedit deficitq́ʒ, miſericorditer ignoſce.*

Quod ſupereſt Totam Patriam noſtram clementer complectere. Ante omnia conſerva tuum inter nos Peculium, Magne Paſtor; Eccleſiam dico rectè de te ſentientem tuisque juſſis obſequentem. Conſerva nobis Formulam ſanorum Verborum, à Teipſo per Prophetas & Apoſtolos traditam, excita inter nos vaſa miſericordiæ, qui eam contra Atheiſmi cœcæque rationis deliria, contra traditionum humanarum externam ſpeciem, Troporumq́ʒ Rhetoricorum Ludificationes ſedulò & maſculè evincant.

Regiam Daniæ Norvvagiæq́ʒ Maieſtatem, Sereniſſimum Schleſvvigæ ac Holſatiæ Principem Gratiâ tuâ ſerva ac tuere. Dona iis ſalutaria Conſilia ac Regimina: ut PIETATE & JUSTITIA *per* A-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

SPERA ſeculi hujus, ad ASTRA, id eſt ad ardua Gloriæ Tuæ culmina enitantur. Illuſtrem & Generoſum Virum, qui amore Tui motus, ſuis hæc ſumtibus procudi curat, ſpiritu tuo guberna ac umbra alarum tuarum fove. Me deniq; ipſum, qui verè ſolus & à Patronis inops eram, quemq; citra ſub & obreptitias technas (quo nomine immortales tibi Gratias ago) ad miniſterium Novi Teſtamenti produxiſti, quo munere honoratius ac lautius nunquam te flagitabo, Propitius intuere, Peccata mea remitte, Tenebras illumina, in bono me confirma, ac tandem propter Tua ſolius vulnera & mortem, immerentem & indignum, æternùm bea. Summum id & unum orat

Humilis tuus in Eccleſiâ cœnobii
Prezenſis ſervus

Henricus Storning.

I.N.J.

I. N. J.

1.

COelos & Firmamentum, dierum noctiumque vices & quicquid eſt hujusmodi, operum DEI admirator David Rex, divinæ Gloriæ teſtes adducturus, non immeritò ab iis tanquam ſenſui ſubjectis, ad res fidei cogitationem revocat & elevat: Legem, Teſtimonium, Mandata, Reverentiam, Judicia JEHOVÆ integra, pura, illuſtria, ſempiterna, ſuper omnia deprædicans. *Pſ. 19, v. 2.* *verſ. 8.*

2. Simpliciſſimam, ſubtiliſſimam, puriſſimam, ampliſſimam Machinæ hujus aſpectabilis partem cœlum dicimus, Hebræi vocant שָׁמַיִם, ſive quia שָׁם מַיִם aquæ ibi divinâ potentiâ ſuſpenſæ feruntur, juxta illud: *Qui contignat in aquis cœnacula ſua,* ſive ab אֵשׁ & מַיִם Ignis & Aqua, quod ex liquidiſſimâ defecatiſſimâque utriusque parte, cœlum conſtet, ſitque naturâ tali, tamque excellente, ut Ariſtoteles cœlum quintam quandam ſubſtantiam, quæ ſui in inferiore hac & elementari ſphærâ nihil ſimile agnoſcit, dicere non dubitet. *Pſ. 104.*

3. Præ hoc tam nobili & incorruptibili corpore, imò præ aliis quæ mundus hic oſtentat, quotus.

Quis-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

quisque eſt, qui Eccleſiam Filii DEI, partem generis humani minimam, ſæpè etiam abjectiſſimam, ejusque per Verbum & Sacramenta (quæ ſeculi ſapientiſſimis aliàs ſcandali materiam, aliàs ſtultitiæ præbent ſpeciem) collectionem & conſervationem, inter tot inſidias defenſionem, & tandem glorioſam liberationem ex æquo & digno æſtimet?

4. Hæc tamen, ceu inter Spinas Roſa & Convallium humile Lilium, Aſſertori ſuo CHRISTO tanti eſt, ut pro ſuo eam Cœlo habeat, ſuumque in eâ Regimen gratioſum, Cœlorum Regnum nuncupet.

5. Scilicet hoc, quo viſus noſter terminatur, cœlum, Creaturis corporalibus cœlum eſt, DEO ſcabellum, quippe quem cœlorum cœli non capiunt. Spi-
1. R. 8. ritualis autem ille ſtatus ſeu Regnum, quod DEUS Pater per Filium JESUM, mediante acquiſitione &
Matth. 3. applicatione omnium à Mediatore noſtro nobis
Matt. 5, 12. partorum bonorum, in hoc ſeculo inchoat, perfe-
Phil. 3, 20. cturus in altero illo, cœlorum Regnum, imo cœlum DEO eſt & nominatur.

6. Hinc pia eſt Patrum ſententia, ſtatuentium, Majus opus DOMINI eſſe Redemtionem, & negotium peccatorem ex Satanæ Regno ad DEUM reducendi, quam Creationem ipſam. Etſi enim utraque ejusdem eſt Omnipotentiæ, illa tamen ſecretioris eſt ſapientiæ & diſpenſationis. Adeò ut Angeli, etſi ex nihilo ſe creatos dudum cognoverunt, etſi ſy-
πολυποί- derei cœli motum & efficaciam perſpecta ſatis ha-
κιλος. bent, arcana tamen Eccleſiæ ſive Myſteria Regni
Eph. 3, 10. cœlorum, eamq; *multis modis variam Sapientiam DEi,*

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

in ea per Chriſtum redimendâ, non niſi à poſterio-
re, & quidem ſummâ cum humilitate intueantur. 1.Pet.1,12.

7. Hoc unicè Apoſtolum Paulum tot inter turbas & anguſtias ſolatur, quod etſi *mundi purgamentum ſit & rejectamentum*, tamen ad miniſterium adhibeatur humano omni ſublimius ac auguſtius, dum, non fabuloſarum Crœſi, non faſtidioſarum Craſſi, ſed *imperveſtigabilium CHRISTI inter tot gentes divitiarum*, ineffabilisque ejus, quam diximus, potentiæ & ſapientiæ præco conſtituitur. 1.C. 4. Eph.3,7.8.

8. Et quemadmodum Davidis votum fuit *Limen potiùs ſervare in Domo DEI, quam tabernacula peccatorum frequentare*, ita ſumma Deſideriorum pii Hominis eſt, de maximis hiſce rebus Regni Chriſti, identidem ſermones & ſententias conferre, ut hac ratione alter *alteri aliquod domum ſpirituale impertiamur ad communem exhortationem, per mutuam fidem, noſtram & aliorum. Talibus ſcilicet datum eſt noſſe Myſteria Regni cœlorum, reliquis per parabolas*, &c. Pſ. 84. Rom.1,11.12. Luc.13,9.

9. Quæ dum recordamur, oblivíſci non poſſumus; quod CHRISTUS JESUS ſit is, *in quo, uti omnes Theſauri ſapientiæ & cognitionis*, ita & illud *Omnium confeſſione Magnum Myſterium* ſitum eſt; Quod penes *Unum eum ſit clavis Davidis, quo aperiente nemo claudit, quo claudente nemo aperit*, quo ſine nil Sanctum mens inchoat. Hujus igitur Summè Venerabili Nomini primò omnium litabimus, & ſi quid in nobis eſt ſtudii, ſi quid virium, huic illuſtrando pagellas haſce ſacras eſſe jubebimus, ita ut ea quæ in quinque ſuis contra Arium orationibus de ſerva- Col. 2. 1.Tim. 3. Apoc. 3, 7.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

tore noſtro Æterno DEI Patris VERBO pulchrê & copioſè diſſerit Divus Athanaſius, ea hîc breviculis Theſibus, DEO & Patre CHRISTI Noſtri clementer annuente, explicemus.

10. Acuerat hactenus, ab ipſis Chriſti incunabulis, ultra annum à nato Servatore Trecenteſimum, Satanas cum in ipſum Meſſiam tum in fideles χριστοφόρους omnem rabiem, & tanquam anguis directus, vi apertâ, & immanibus tormentis, eos à Chriſti confeſſione deterrere tentaverat, quæ & quanta tum Martyrum certamina, & patiendo ab hoſtibus Veritatis parta Tropea extiterint, videre eſt apud Euſeb. Pamph. cum paſſim tum imprimis L. 8. à Cap. 6, ad c. 13.

Athanaſii vox Or. 4. p. 284.

11. Robur invictum Eccleſiæ illorum temporum poſteritati commendat Sulpitius Severus, dum ait: *Certatim in glorioſa certamina ruebatur, multòque avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhauſtus eſt, nec majore unquam Triumpho vicimus, quàm cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.* En tibi novum vincendi genus: quando Sanctus DEI populus, non evadendo uti olim Iſraël ex Ægypto, non cunctando & pugnam detrectando ut Fabius, ſed ne reſiſtendo quidem imò injuriis ſeſe offerendo, ſic tamen vicit.

L. 2. p. mihi 135.

12. Annus tandem ab Trecenteſimo Decimus tertius erat, ubi (cum Diocletianus & Maximianus imperio ſe abdicaſſent,) Galerio, morbi vi correpto, cum ulcerum & vermium ex iis pullulantium Lethiferum

ferum fœtorem nec ipſe nec Medici ferre valerent, edictum de Chriſtianis ſupplicio non afficiendis divina vindicta extorſit, rem ipſam vide apud Euſeb. L.8. c. 17. 18.

13. Cumque deinde alii, qui nocere vel poterant vel volebant, vario fato brevi abſumerentur, Conſtantinus, cui deinde Magno cognomen fuit, rerum ſummâ ad ſe translatâ, Chriſtianam religionem liberam eſſe juſſit. Tum erectæ de novo Ædes Dominicæ ſpatioſæ & ſpecioſæ, celebrata nova Encænia & Panegyres, Aſſignatæ Eccleſiarum Antiſtitibus Imperatorio Nomine Pecuniæ & immunitates. Synodi celebratæ ad tollendas Epiſcoporum diſſenſiones & ſchiſmata, quæ & alia pluribus retulit Euſeb. L. 10. integro.

14. Ab Orbe condito ad id ætatis, auſim dicere, non fuiſſe orbem terrarum pleniorem Hymnis & Gratiarum actionibus ad DEum, mutuoque ſibi congratulantium plauſu, quàm, cùm tot hominum Myriades, per totum, qua patebat Rom. Imperium, integro propè decennio miſerrimis modis exagitatæ, unâ omnes voce reſpirare juberentur. Lætitiæ hujus ſpecimen videre eſt ap. Euſeb. Lib. 10. c. 3 4.

15. Verum enim vero, omnium in ſpem optimam atque aurei expectationem ſeculi, erectis animis, ſubitò ſerpens ille directus, in tortuoſum converſus, quò vi non potuit, fraudibus & inſidiarum latebris graſſatus eſt. Inventis adminiſtris, Chriſtiani quidem nominis quibusdam ſed ambitionis & vanæ gloriæ ſervis, quibus ſe Ducem præbuit nefa- *Theodoret. L. 1. c. 1.*

 rius

rius ille Arius, de quo vid. Sozom. L. 1. c. 14. Alexandrinæ hic erat Eccleſiæ Presbyter, in Dialecticis probè exercitatus, qui cum aliquando Alexander Epiſcopus Alexandriæ, præſente Clero acutè & ſubtiliter de Sanctâ Trinitate diſſereret, ſeu invidiâ in E-
Socr. L. 1. c. 3. piſcopum ſeu ingenii oſtentandi, Epiſcopoque contradicendi ſtudio, eò provectus eſt, ut de Æterno DEI VERBO infanda aſſereret.

16. Quæ cum ſint totius controverſiæ ſumma capita, in quibus refutandis Athanaſius occupatur, placet ea ex Epiſtolâ Alexandri, Alexandriæ Epiſcopi, quæ extat apud Socr. L. 1. c. 3. huc tranſcribere: Senſit quippe Arius: DEUM non ſemper Patrem fuiſſe. Non ab æterno DEI VERBUM (λόγον) fuiſſe. DEum qui eſt, eum qui non erat, ex eo quod non eſt, procreaſſe. Et propterea tempus fuiſſe cum non eſſet. Creatum quippe & factum eſſe Filium, nec eſſentiâ Patri ſimilem, nec naturâ verum Patris VERBUM, nec veram ejus SAPIENTIAM eſſe, ſed ipſum factum eſſe proprio DEI VERBO & SAPIENTIA, per quam DEUS etiam cœtera fecit: Adeoque non eſſe naturale Patris Genimen, ſed Voluntate & gratiâ Patris, cum ante non eſſet extitiſſe, Explicante Athanaſio. Patrem à Filio minimè explicari poſſe, nam Filium neque Patrem plenè & accuratè cognoſcere, neque exquiſitè cernere poſſe - Filium noſtri causâ factum eſſe, ut DEus per ipſum tanquam per inſtrumentum nos crearet, nec futurum fuiſſe unquam, ut exiſteret Filius, niſi DEUS nos creare animum induxiſſet. Quæſitum igitur eſt ab iis; utrum DEI VER-

BUM

ctum poſſit mutari, quemadmodum Diabolus mu-
tatus eſt, & non veriti ſunt reſpondere: certè poteſt,
cum enim & gigni & mutari poſſit, ejus etiam natu-
ram poſſe mutari. Ario igitur & ejus Fautoribus,
Alexander cum aliis ferè Centum Ægypti & Libyæ
Epiſcopis, anathema pronunciavit, uti extat Epiſto-
lâ eâdem.

17. Huic monſtro tanquam Hydræ multorum
capitum feraci, oppoſuit DEus ſingulari beneficio
novum quaſi Herculem, Athanaſium dico, Alexan-
drinæ Eccleſiæ, tempore Nicæni Concilii Diaco-
num, mox Alexandro defuncto, Epiſcopum. Qui
tantâ pietate & induſtriâ, tamque ſolidè, Arii do-
gmata, ex iisque conſectarias opiniones confutavit,
ut mirum ſit, poſt Athanaſium in loco de Chriſto
hæreſin aliquam accidere potuiſſe, adeò is in Ario,
Neſtorium, Eutychetem, Zvinglium, Bezam & quic-
quid horum eſt, jugulavit.

18. Neſtorium in ſpecie quod attinet, nihil ma-
gis miror, quam eum tam recente Divi Athanaſii me-
moriâ in errorem quo Mariam Θεοτόκον, id eſt DEum
ex Mariâ natum eſſe, negabat, incidere potuiſſe,
namquè, ſive non legit Athanaſii & veterum ſcri-
pta, quod ei tribuit Socrates, fuit ſupinæ negligen- L. 7. c. 32.
tiæ, viri tam celebris libros præterire, nec ſcire a-
vere, quid ſeculo vix integro ante ſe in Eccleſiâ
actum fuerit. Sive legit, intolerabilem arroganti-
am & impietatem ſuam prodidit, quod à tanto Chri-
ſti Athletâ in certamine tam arduo ſeceſſionem fe-
cit.

 19. Cal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

19. Calvinianorum, quoſcunque tandem circa hoc Myſterium gyros texant retexantque, palam ſunt verba: Zvingl. Agminis primipilus, Naturis etiam in concreto nihil niſi eſſentialia ſua & naturalia relinquit, quæ Myſticè de alterutrâ prædicantur, alteri, imò toti Perſonæ adimit, TANTUMque Naturæ ei, cujus propria ſunt, reſignat. Ita enim Reſp. ad Lib. Lutheri de Sacramento Tom. 2. operum. f. 406. Locum Joh. 12. cum exaltatus fuero à terrâ omnes pertraham ad me. Exaltationem de Humanâ DUNTAXAT naturâ intelligit, juxta eam enim SOLAM mortem ſubire potuiſſe Chriſtum. Alterum, omnes pertraham ad me, de SOLA divinitate explicat. Idem ibid. poſt pauca ita ait: Filius Hominis qui eſt in cœlo, Joh. 3. Item, Filium Hominis oportet exaltari cap. eod. Hic Filius Hominis bis nominatur. Nullibi tamen ſic ut utramque Naturam ſimul ſignificet. Nam primo loco Divinam. Secundo Humanam DUNTAXAT denotat. Idem Tom. eod. operum p. 462. in Loco Gal. 4. Miſit DEus Filium ſuum, vocem Filii per Allœoſin pro SOLA humanitate exponit. Ita poſt eum Pareus in der bibliſchen Rettung p. 95. Die Menſchheit habe zwar Allein gelitten/ ſey aber nicht allein geweſen.

Beza quidem Reſp. 1. ad actaColloq. Momp præf. c. 2. p. 19. ait: Prædicata in locutionibus concretis propriâ ſuá ſignificatione accipi (DEus enim Gloriæ nihil aliud quam DEUM ſignificat, Filius Hominis nihil aliud quàm hominem) ſed tunc & dixiſſe ſe & dicere, Hunc prædicandi modum eſſe verbalem,

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

non realem, id eſt quod verba propriè ſonant non eſſe ad rem transferendum, quoniam merus inde Eutychianimus conſequeretur.

20. Hypotheſis & Fundamentum, ſuper quod doctrinam hanc de Allœoſi, (mitiores Synechdochen vocant) & verbalitate Propoſitionum Myſticarum extruunt, eſt error is: quod inter duas in Chriſto Naturas tantùm unionem quandam, & quemadmodum Admonitio Neoſt. p. 32. loquitur, concurſum citra ullam aliam communicationem admittunt. Beza Reſp. 1. ad acta Coll. Mompelg. p. 104. Hoc adeo omnibus immotum ſedet, ut Polanus, diſput. de Unione Perſonali, Theſ. 1. Quando agnoſcit feriri ſuos judicio veteris Eccleſiæ, quæ in Paulo Samoſateno damnavit, quòd ſtatueret duas in Chriſto naturas ad ſe invicem incommunicabiles eſſe, vocem incommunicabiles per inunibiles exponi oportere urgeat.

21. Ex his patet, ipſos (ut jam de ſolis concretis loquamur ad quæ ſemper provocant) 1. inter naturas Chriſti nihil aliud quam unionem concurſumque, ſine omni appropriatione & communicatione ſtatuere. 2. Myſticas Phraſes aut per Synechdochen vel Allœoſin ab alterâ Naturâ, etiam in unione id eſt in concreto, imo à totâ perſonâ, in alteram *tantum* Naturam detorquere. Aut 3. quando earum extrema propriè accipiunt merè eas verbales, nec ad rem transferendas pronunciare.

22. Calvinus L. 2. inſtit. c. 14 ſect. 1. & 2. ita fatur: DEus non habet ſanguinem — quando DEus dici-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

dicitur ſanguinem fundere, tum quæ in humanâ ejus naturâ peracta ſunt, ad Divinitatem IMPROPRIE, licet non ſine ratione referuntur. Conſcientiam viri vide: Improprietatem Myſterii ſummi clarâ voce coram Eccleſiâ ebuccinat. Cumque vox videretur durior: quî enim DEUS proprium ſanguinem impropriè (etſi myſticê & pro ratione perſonalis περιχωρησεως) fundat? Ideò eam emollit, ſed ratione tali, quam præterit potius quam exprimit. Vitrum videlicet lambens pultem non attingens. Qui certior volet eſſe de mente Calvinianorum, adeat Examen it. Schlußrede der Würtemberg. contra Heidelberger/ ubi plura magno numero nec minori judicio ſelecta reperiet.

23. Pareus, qui proximè omnium nobis accedere videri vult, ait in Irenico, p. 264. Chriſtus homo eſt DEus Realiſſimè, quia unio naturarum in Perſona Chriſti eſt Realiſſima, imò ſubſtantialiſſima. Realiter enim Humanitas eſt de ſubſtantiâ Chriſti DEI, & Deitas de ſubſtantia Chriſti Hominis. Realiter ergo & ſubſtantialiter Chriſtus Homo eſt, DEus Deitate ſuâ. Quibus verbis etſi ſpecioſis tamen hilo uno plus nobis non largitur quam alii. Hoc enim vult: Chriſtum Hominem id eſt Chriſtum utrâque naturâ conſtantem ab humanâ autem naturâ denominatum, eſſe ſubſtantialiſſimè DEum, i. e. præter ſubſtantiam Humanæ naturæ dari etiam in perſonâ DEI-HOMINIS ſubſtantiam Divinæ naturæ. Et Hoc quidem verum eſt, ſed præterea ſcriptura addit: *Ioh. 1. Heb. 2 VERBUM factum eſſe carnem. Filium DEI communi-*

caſſe

caſſe Carni & Sanguini, tanquam pueri. Deum eſſe hominem, &c. In his, Subjecta DEus, Verbum, Perſonam compoſitam & utrâque naturâ conſtantem ſignificare non poſſunt. Non enim Perſona ex utraque naturâ conſtans in tempore caro facta eſt, ſed ὁ λόγος, qui antea erat Perſona ſimplex unâ naturâ ſubſiſtens, Caro eſt factus. At quomodo, an per ſolam carnis ad λόγον concurſum, συνδεσμὸν vel unionem? Reſpondet Epiſt. ad Heb. c. 2. per Communionem & appropriationem adeò arcanam, ut quemadmodum Pueri participes fiunt ſuæ carnis & ſanguinis naturaliter, ita Verbum æternum, Carnem ſibi SUAM, Myſticâ & imperſcrutabili perſonalique communicatione, propriam effecerit.

24. Fruſtra excipiunt, ſe nihil aliud velle quàm quod Paulus Rom. 1. ſcribit: *Filius DEI natus eſt ex Semine Davidis ſecundum Carnem.* Paulus enim hîc diſtinguit, ſecundum quam naturam Perſonæ toti Nativitas competat, interim eam ab alterâ naturâ in concreto non ita removet, quaſi ad DEum nihil attineat. Sitque Humanitatis, ejusque Solius. Cur enim λόγος, qui communicavit Carni, non communicaret nativitati? Cur is idem Paulus, qui alibi Sanguinem nominat DEI proprium; nativitatem itidem DEI (perſonaliter & in unione) propriam dicere ſubterfugiat? Calvinianorum Synechdoche, locutio videlicet tropica & impropria, quod alteri naturæ vindicat, à perſonâ totâ, & ab alterâ naturâ in concreto removet. Nos autem ea, quæ carni Chriſti contigere, utique dicimus ad VERBUM quod Caro

Actor. 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

factum eſt, ad DEUM Filium qui homo eſt, in concreto, in unione pertinere. Ita, ut qui corpus Chriſti occiderunt, poſtulentur DOMINI Gloriæ interfecti, nec dicere poſſint cum Neſtorio, Hominem ſe non DEUM interfeciſſe.

25. Hæc eſt ineffabilis illa communicatio λόγȣ cum carne, quam Author Epiſt. ad Heb. cap. 2. hæc intima ea Ἰδιοποίησις & οἰκείωσις, quam Divus Athanaſius ita graviter & ſeriò inculcat, ut facilè appareat, utrumque hic Sapientiam DEI in Myſterio, non floſculos oratorios agnoſcere.

26. Quibus primis libuit Terminorum anguſtiis Auguſtum hoc Myſterium circumſcribere, quare non inhæſere terminis ſcripturæ & Eccleſiæ? dicentes: Filium DEI Hominem, natum, paſſum, carne κοινωνικῶς, Heb. 2. περιχωρητικῶς, ἰδιοποιητικῶς. per ineffabilem & Myſterio unionis ſublimiſſimo congruentem communicationem, immeationem, appropriationem, An fortè majoris Subtilitatis eſt, Myſteri Angelis Impervii Altitudinẽ & Abyſſum, vel levi Allœoſeos mentione tranſilire, vel puerili Synechdoches decempedâ emetiri? Doceat nos Philoſophia in iis, quæ ſunt infra fidem, & ad quæ viâ ſenſuum & inductionis itur. Abſit autem ut hujus-
Col. 2. modi inaniæ myſteriis nos ſpolient iis, quæ non juxta Elementa mundi, ſed juxta Chriſtum, in quo ſolo abſcondita latent, exigenda ſunt.

27. Eutychianiſmi ſuſpicionem facilè à nobis amolimur, quando 1. naturam utramque in Perſona Chriſti integram manere ſtatuimus. 2. Utrique

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

in ſeipsâ conſideratæ, Eſſentialia ſua & Propria tribuimus. 3. Quid ſive alterutri ſive utrique, ratione Perſonalis Unionis, realiter & verè competat, non niſi prælucente ſcripturà pronunciamus. 4. Myſtica ea & omnem intellectum ſuperantia, ut: Verbum Caro factum eſt. DEus communicavit carni & ſanguini. Sanguis, quo emti ſumus, eſt DEI proprius. Filius Hominis eſt DEI Filius. Naturarum integritatis prætextu, non vel tanquam impropriè & tropicè dicta, per Allœoſin & Synechdochen detorquemus, vel tanquam Phraſes merè verbales elevamus. Sed in iis propriè & realiter intellectis, ſublime id myſterium, quod verba ipſa, quæ Spiritus Sanctus docuit, tradunt, piâ ſimplicitate veneramur. Certiſſimi: Et neminem accuratiùs intelligere, quid cum integritate naturarum in Chriſto vel ſtare vel non ſtare poſſit; quàm ipſum Spiritum Sanctum, per Apoſtolos loquentem. Et neminem aut magis propriè aut magis realiter, de tantis Myſteriis, quam eundem ipſum, verba facere poſſe. Ducem in his omnibus ſequimur Divum Athanaſium, de quo ambigenti nihil habeo dicere, niſi illud Philippi ad Nathanaelem: Veni & vide. Qui certaminũ mediocriter gnarus eſt, plura his reperiet, in quibus totus noſter eſt. Eſto ergo in Nomine JEſu Chriſti

Ex Divi Athanaſii Oratione in Arianos Primâ, Aphoriſmus.

I. PRincipio Beatus Athanaſius noſter invehitur in Satanam, eumque tanquam plagiarium, a-

 lienos

lienos liberos in ſervitutem abducentem, decepto
Jeſ. 10. Adamo ſic exclamantem introducit: *Ecce ego Orbem Terrarum velut nidum comprehendam, & veluti ova relicta tollam, nec erit qui aufugiat.* Cœterum veniente Chriſto edoctum ait, quàm non poſſet eam, quam Dominus geſtabat carnem, fallere, domitum jam inde, à pueris veluti paſſerculum ludibrio haberi, vel quovis infantulo inſerente manum in linguam Aſpidis, quæ Evam deceperat. Et quovis fidelium con-
Jeſ. 14. culcante eum, qui dicebat, *ponam ſolium meum ſupra nubes & ero ſimilis Altisſimo.*

2. Ejusdem Hoſtis verſutiam notat, quem in omnibus Hæreſibus, quaſi Angelum Lucis transformatum, dicere ait: Ego ſum Chriſtus, me penes eſt veritas. Addit: Oportere ergo velamen impietati detrahi, eamque publicè oſtentui haberi, ne ſimpliciores ſubvertantur.

συγγνώ-
3. Veniam deinde orat verbis ſordidis & con-
μην ἐπὶ ῥυ- taminatis quæ ex Hæreticorum ſenſu & libris citatu-
παροῖς ῥή- rus eſt. Præfatus, ea ſe uſurpare, non quod ita ſen-
μασι. tiat, ſed quod ea redarguat. Et eſt hoc loco obſervanda ſumma Reverentia, quam veteres Sacris rebus deferebant, ut non temerè quippiam novi & controverſi in Eccleſiæ proſcenium introducerent. Tertullianus dubium aliquod moturus, ſe-
De Bapt. contra Quintillam, c. 12. riò proteſtatur: Non ſe eſſe tam perditum, ut ultrò exagitet libidinem ſtyli, quæ aliis ſcrupulum incutiat, nec ſe id proponere, quod ipſe id invenerit, ut eum aliis ſcrupulum injiciat, ſed ut aliis, ſimilem
λεξείδια. ſcrupulum ſentientibus, ſatisfiat. Satius profectò fuiſſet

ſuiſſet dictiunculas haſce Temporis ſignificativas, *Antequam*, *Ex non Entibus*, *Factus*, in Myſterio Æternæ Generationis Filii DEI nunquam audiri, quàm cum aliorum deteſtabili curioſitatis prurigine, aliorum cum immedicabili ſcandalo, tanquam *Pomum Eridos* in medium projici. Sed hæc & alia monita, tanquam Spicilegia quædam, contextui non inferemus, quandoquidem apud Athanaſium ipſum ſatis opulenta nobis eſt parata meſſis.

4. Quæ autem Athanaſius in Oratione ſuâ primâ, (quæ Epiſtola ἐγκύκλιος omnibus Epiſcopis Ægypti, Thebaidos &c. inſcribitur) Arianis objicit, ea ferè ſunt, aut certè ad ea revocari poſſunt, quæ ſupra ex Epiſtolâ Alexandri citavimus, quæ ſi Lector ex ipſo cupiat cognoſcere, inſpiciat Orationem primam pag. 124. 125. editionis Commelinianæ. Item Orat. ſecundam p. 137. 138. Non tamen ſilenda eſt horribilis illa Blaſphemia, quâ Ariani, Filium Potentiam DEI dici ajebant, *quomodo Bruchus & Eruca dicuntur Potentia DEI*, ut vel ex hoc uno pateſcat, quàm *Vid. etiam Or. 3. p. 215.* teter fuerit ille Satanas, qui Arium in Eccleſiam armavit. Nec non propterea, ut quoniam ipſi ſuas blaſphemias occultant, neque gregalium ſuorum verba producere audent, impietati tectoria detrahantur, eaque publicè coram Eccleſia traducatur & pudefiat.

5. Pulchrè autem Author noſter, Principalia ſcripturæ dicta, tanquam refutationum Hæreſeos hujus fontes commonſtrat. Sic Arii dogma *Priusquam crearetur non erat:* Refutatur ex eo: *In principio* *Joh. 1.*

erat Verbum. Arius ait: *JEſum non eſſe verum DEum, ſed ſecundum aliquam tantummodo proportionem & participationem.* Johannes contrà: *Hic eſt verus DEus,*
1. Joh. 5.
& Vita æterna. Ariani, *Filium ab Eſſentiâ & æternitate Patris tanquam alienum ſeparant.* Dominus autem ait: *Ego & Pater unum ſumus. Qui me videt, videt & Patrem, Filius enim Jubar Gloriæ & Character Perſonæ Patris eſt.* Ariani ajunt: *Filium DEI, non eſſe ipſum Verbum & Sapientiam Patris, ſed aliam ab eâ, dicique λόγον reſpectu omnium aliorum, quæ ratione utuntur.*

Joh. 10. Joh. 14. Heb. 1.

Scriptura contrà inquit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Et: *Hunc eſſe Patris Verbum, & in ipſo cœlos firmatos, & omnia per ipſum facta eſſe, ita ut ſine ipſo nihil factum ſit quod factum eſt.* Non ergo in DEO eſt alia Sapientia aut aliud Verbum, in quo Filius factus ſit. Filius quippe ſolus præ omnibus aliis non creatur, ſed gignitur. Nec eſſe poteſt ab æterno alius aliquis in Patre, præter eum qui dixit: *Ego ſum in Patre & Pater in me.* Cavillantur etiam Ariani: *Patrem à Filio non plenè cognoſci*; Reſpondet autem iis ipſe: *Nemo cognoſcit Patrem niſi Filius.* Et: *Quemadmodum cognoſcit me Pater, ita & Ego Patrem.*

Matth. 3. Pſ. 33. Joh. 1. Joh. 14. Matth. 11. Joh. 10.

6. Præterea etiam, quod hæc Hæreſis à Scriptura undique vapulat, Ipſa quoque ſeipſam condemnat. Dum enim Ariani Chriſtum adorant coluntque, eundem tamen naturâ DEum eſſe negant, ſeipſos idololatriæ reos agunt.

7. His omnibus qui non credit, is ad ipſos Caco-Dæmones relegandus eſt, ut vel his dicentibus: *Tu es*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Chriſtus Sanctus (*Filius*) *DEI*, credat, hunc eſſe, non plures, non alium Flium DEI. *Marc. 1, 24. Luc. 4, 41.*

8. Nec Juvat Arianos, quod quædam ſana retineant. Non enim Achan furto, cujus convictus erat, ſuam poterat in bello fortitudinem obtendere. Nec ei qui Adulterii manifeſtus eſt, ſufficit, ſi de furto ſe excuſet.

9. Exiſtimant Ariani, fraudibus & Vafritie ſe Hæreſin ſuam propugnare poſſe, imprimis autem ſe efferunt, cùm verbis & vocibus orthodoxis, quibus pravitatem ſuam tegunt, tum dicendi Magnificentiâ, quâ fimbrias ſibi, ipſis Phariſaicis majores fingunt, atque ita Lucernam ſuam ſub Modio occultant, ne lucere viſa, condemnatione extinguatur. Sed melius eſſet, ſi eam non Sophiſmatibus, ſed ſimplice fide defendere poſſent. Item: Si prius Blaſphema ſua dogmata exterminarent, iisque abrenunciarent, deinde ſana & ſalubria ſcriberent. Eſt enim doli expers & ſimplex Virorum Apoſtolicorum converſatio.

10. Arius ipſe ſcripto juſſus edere fidem ſuam, ſubdolè eam conſcripſit, propria impietatis ſuæ vocabula occultans, ſubjiciens autem, uti ipſe Diabolus, Scripturæ verba, ita ſimpliciter, uti Scripta ſunt. Cumque Conſtantinus quæreret, utrumne aliud quippiam animo foveret, perjurio annuit, id ipſum ſe ſentire, nec aliud, quàm quod profiteretur. Poſtridiè ergo, cum, Euſebio Nicomedienſi contendente in Eccleſiam eſſet recipiendus, Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo precibus ad DEum contrà *ὑποκρινόμενος.*

tenden-

tendente, manè ante lucem neceſſitas Arium in eum locum adduxit, ubi collapſus, & præceps factus, medius crepuit, in ipſo videlicet perjurio, communione & vitâ privatus. Jam tametſi mortis causâ, ne ipſis quidem inimicis inſultandum eſt, tamen quia hic Arii exitus oppidò extitit ſingularis, ideò hanc Hæreſin, etiam ipſo DEO Judice, cum Eccleſiâ incommunicabilem eſſe exiſtimamus.

Ex Oratione Secundâ.

1. Filius eſt Splendor Gloriæ Patris. Jam nulla Lux ſine ſplendore eſt, quippe qui Lucis Imago eſt, ita Pater nunquam ſine Filio fuit. Ergo Filius nunquam non, id eſt ab æterno fuit tanquam æternæ Lucis æternus ſplendor.

Φαντάζεσθαι. 2. Non poſſumus animo tempora concipere ante Filium, ſecula quippe per eum facta ſunt. Et Διαστήματα φαντάζονται. Ariani quidem ipſi temporis vocem ſubterfugiunt, quia tamen ſtatuunt ſpatia, quibus λογον non fuiſſe ajunt, tempus utique innuunt.

3. Hominum proprium eſt in tempore generare, propter naturæ imperfectionem. Generatio γέννημα. autem DEI æterna eſt, propter naturæ perfectionem æternam.

4. Ariani Latronum in morem DEUM VERBO ſuo ſpoliant, ipſique contradicunt, quod aliquando propriæ ſuæ Sapientiæ & Rationis expers fuerit.

5. Edi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

5. Editus eſt Filius ex ſubſtantiâ Patris, hoc enim ipſo, quod Patris ſubſtantiam participat, Filius eſt.

6. Arii dogma, in Trinitate inæqualitatem & mutabilitatem ponit.

7. Subſtantiâ Patris exiſtente, ſtatim oportuit etiam ejus Characterem & Imaginem exiſtere, hæc enim non forinſecus eſt deſcripta, ſed DEus ipſe ſui ipſius Imaginis eſt Genitor, in ſeipſo eam videns eique applaudens. προσχαίρων, αὐτῇ.

8. Quando ergo Pater ſeipſum non intuetur in Imagine ſuâ? aut quomodo conditor ſeipſum videre potuit in re conditâ? An unquam DEus cum Lux ſit, fuit ſine Splendore? Imago DEI talis ſit neceſſe eſt, qualis ipſe eſt. Æterna, Lux, DEus, Conditor, ut in Imagine ipſum Patrem verè videamus. Φῶν ὢν ἀφεγγὴς ἦν;

9. Objiciunt: Si Patri per omnia ſimilis; debuit etiam ipſe generare Filium. R. in humanis, Paternitas & Filiatio, vel perſona Patris & Filii, ſtabilem locum propriè non habent. Pater enim eſt ab alio, reſpectu cujus Filius eſt. Ideò Filius poteſt habere aliquem, reſpectu cujus Pater ſit. In divinis autem ubi Pater ſemper & propriè Pater eſt, Filius ſemper & propriè eſt Filius, non licet ejusmodi defluxus & affluxus fingere. Nam ut in aliis, ita & in Immutabilitate, quâ Pater ſemper Pater eſt, Filius ejus Imago eſt, eò quod ſemper & immutabiliter eſt Filius. ἀπορρόιας καὶ ἐπιρρόιας.

10. Generationem λόγȣ impaſſibilem dicimus & æternam, remotis ab eâ omnibus imperfectionibus. Filius enim nec Pars eſt Patris, nec ſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

οὐ κατὰ πάθος γέννημα. cundum paſſionem generatus. Ideo Filium Scriptura nominat ipſum λόγον, SAPIENTIAM, Splendorem Patris, ut de Generatione Filii, nihil niſi quod DEO dignum eſt, cogitemus & ſuſpicemur.

11. Potuit DEus ab æterno creare, ſed ſi dicas cur id non fecit? Reſp. 1. Furioſorum eſt id quærere, *Quis enim cognovit mentem Domini?* Ne verò, cum nobis ſaltem obſcurum ſuppetat argumentum ſileamus; dicimus: Creaturas non potuiſſe ab æterno exiſtere, emerſere enim ex non Entibus. Filium autem oportuit ab æterno exiſtere, eſt enim proprius Eſſentiæ Patris, & res creatæ ſi non exiſtant, tamen propterea nihil detrimenti capit Creator, Filius autem ſi ab æterno non fuiſſet, id contra naturam & perfectionem Patris fuiſſet.

Rom. 11. ἀμυδρόντα λόγον ἔχοντες.

1. Cor. 1. 12. Paulus prædicat *CHRISTUM, DEI Potentiam & DEI Sapientiam*, quæ certè æterna eſt.

13. De voce Ἀγένητος, notanda eſt diſtinctio inter τὸ Ἀγεννητὸν, id eſt ingenitum, & τὸ Ἀγένητον, id eſt non factum. Inſidiosè enim quærebant Ariani utrum duo ſint Ἀγένητοι an unus? Reſp. Et Patrem & Filium eſſe Ἀγένητον ſeu non factum. Solum autem Patrem eſſe Ἀγέννητον ſeu non generatum.

14. Cœterum hoc loco merito taxatur in Arianis: 1. Quod vocem hanc ἄγραφον in Eccleſiam introducant, cum tamen ipſi in Orthodoxis culpent, quod vocem, quæ in Scripturâ non extat, Synodo Nicænæ inſeruerint. 2. Quod cum hâc novâ voce novas lites ſerant: cum tamen Vocabula hujusmodi, non ad introducendam, ſed ad tollendam Hæreſin,

ſin, uſurpari demum debeant. 3. Quod voce, quæ bonum ſenſum admittit, non tam in honorem Patris utantur, quàm cum contumeliâ Filii DEI abutantur.

15. Præſtat interim & Religioſius eſt, DEum vocare Patrem, quàm Ἀγέννητον. Pater enim in ſolo Filio intelligitur, altera illa vox DEO reſpectu creaturarum competit. Quapropter vox *Non-factus*, extra Scripturam eſt, æquivoca eſt, Ethnica eſt, ab Aſterio Sophiſtâ jactata. *Patris* Nomen ſimplex eſt, ſcripturis familiare, à Domino agnitum, uſurpatum, nobisque commendatum. Baptizamur enim in Nomen Patris & Filii, non Infecti & Facti.

16. Si Solus Pater eſt Ingenitus, ex eo non ſequi- ἀγέννητος,
tur Filium DEI eſſe factum, ſed eſſe Generatum. Eſt γεννητὸν,
enim Patris Genimen, & Imago, & λόγος, & Sapien- γέννημα.
tia. Non poteſt res facta vel creata, Imago perfecta eſſe increati. Ita enim ſupera inferis miſcerentur, & quod factum eſt, exæquaretur ei, quod factum non eſt, & id quod factum non eſt, redigeretur ad menſuram ejus, quod factum eſt.

17. Accedit, quod vox *Non-factus*, contradi- ἀγένητος.
ſtinguatur non Filio ſed creaturis. Reſpectu enim harum DEus dicitur non factus, ipſæ factæ. Planè uti vocabula alia, ut: Omnipotens, Dominus Virtu-
tũ, Filium non excludunt. Si enim Pater omnia per τὴν βασι-
VERBUM ſuum gubernat, Et Filius Regnum Patris λείαν τοῦ
regit, Omnipotentia Patris Filio opponi non poteſt. πατρὸς
Uti ergo non valet: Pater eſt omnipotens ergo Fi- βασιλεύει.
lius non eſt omnipotens. Ita nec valet: Pater eſt Non-factus ergo Filius eſt Factus.

18. Non eſt Filius ita liberâ voluntate bonus,

 ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

ut poſſit velle mutari. Ita enim non eſſet vera Imago Patris immutabilis, nec aliquis in eo immutabilem Patrem conſpiceret. Et Epiſtola ad Hebræos Filium numero rerum mutabilium eximit. Et creata quidē, quia antea nō fuerunt id, quod poſtea facta ſunt, alterabilē habent naturā. Filius verò ex ſubſtantiâ & naturâ Patris eſt, ex quâ nihil alterabile prodire poteſt.

ἐχαρίσατο 19. Atqui ajunt: *DEus Chriſto gratiosè contulit* Phil. 2. *Nomen Filii*, ergo collatum promeruit, ergo voluntate bonus fuit. Reſp. 1. Opponendo dicta quæ contrarium denotant ut: 1. Cor. 2. quod eſt *Dominus Gloriæ*. Quod Joh. 17. *habuit Gloriam apud Patrem ante mundum conditum*, *Viſus eſt Abrahamo in tabernaculo. Adoratus à Moſe in Rubo*, & Vidit Daniel tot Myriadas ei inſervire. Nunquam accepit nomen ut adoraretur, qui ſemper in Nomine ſuo adorabatur. Nam antequam ὁ λόγος fieret Homo clamabant Sancti: *Ante Solem permanet* Pſ. 72. *Nomen tuum & ante Lunam in ſecula.* 2. Diſtinguendo Naturas & exaltationem ad humanitatem referendo, ubi notandum: ἐπὶ τοῦ ἀνθρωπίνου λέγεται. quod Humiliatio æquè ac Exaltatio Chriſto propter Carnem accidit, & ſecundum humanam naturam de eo prædicatur. Quemadmodum igitur Chriſtus quatenus Homo dicitur mortuus, & exaltatus, ita & quatenus Homo dicitur ea accipere, quæ quatenus DEus ſemper habet. Nec ὁ λόγος minor factus eſt corpus aſſumens, ſed potiùs ἐθεοποίησε. DEificavit corpus quod induit. Nam cum ὁ λόγος ſit Caro factus, & Corpus hoc ſeu Caro, ipſius λόγου ſit, non alterius cujuſpiam, ideò exaltato corpore, ipſe λόγος exaltari dicitur propter corpus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

20. Is qui ſemper adorabatur tanquam VERBUM, & in formâ DEI, poſtea homo factus, & JESUS vocatus, non minus omnem ſub pedibus habet creaturam, in hoc, JESU Nomine, genua flectentem. Et proinde, quemadmodum Gloria Patris eſt hominem recuperari, ita & noſtra Gloria & ſublimatio eſt, quod cum Poteſtates & Archangeli eum ſemper adoraverint; Nunc porrò adorent ſub Nomine JESu Chriſti, eò quòd Filius DEI Homo factus eſt. Ex quo infertur, cœlicas virtutes, cum vident nos ei concorpores, alienum ab ſe non exiſtimaturas eſſe, ſi nos in ipſorum regiones introducamur. συσσώμους.

21. Exaltationis enim Chriſti indigus erat homo. Hinc VERBUM quod erat Imago Patris, quoniam propter nos mortem ſuſtinuit, ideò etiam tanquam homo pro nobis dicitur Superexaltari, ut, quemadmodum morte ejus, nos mortui ſumus in Chriſto, ita in eodem Chriſto ex mortuis reſurgentes, & in cœlum aſcendentes, exaltaremur.

22. Non dixit David: Unxit te ut Filius vel VERBUM fieres, ſed: DEus, Te qui DEus & Rex es, unxit. *Pſ. 45.* Nec mirum eſt, eum qui ſpiritum dat, Spiritu inungi, cum non recuſaverit, ratione humanitatis inferiorem ſe Spiritu S. pronunciare, dum inquit: *Ego in Spiritu DEI ejicio Dæmonia:* Cui tamen alibi ſe *Matth. 12.* parem oſtendens inquit: *Ego mittam illum, & ille glo-* *Joh. 15.* *rificabit me.* *Joh. 16.* Ita ipſe Spiritûs Sancti Præbitor, quatenus χορηγός. homo diciturSpiritu ungi: ut hominibus, quemadmodum Exaltationem & reſurrectionem, ita & Spiritûs S. inhabitationem & contubernium præparaþ οἰκειότητος. raret.

23. Quia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

23. Quia omnia quæ Pater donat & facit per Filium facit, idcirco quæ ipſi donantur, ea juxta humanitatem etiam à ſeipſo accipere dicitur. Hinc ait: *Ego pro ipſis me Sanctifico*, id eſt: Ego qui ſum VERBUM Patris, mihi ipſi Homini facto do Spiritum S. & in ipſo me Hominem factum ſanctifico, ut porrò omnes in me Sanctificentur.

Ἀνθρωπίνως. *Joh.* 17.

24. Si ipſe ὁ λόγος mittit Spiritum, & Spiritus de eo quod VERBI eſt accipit, non certè ipſum VERBUM & SAPIENTIA, Spiritu quem ipſe dat, inungitur, ſed aſſumta Caro eſt, quæ in ipſo & ab ipſo inungitur. Quis enim profectui locus eſt in Immutabili? Æternus quomodo in tempore quippiam accipit?

25. Quemadmodum prævaricante Adamo, in omnes homines Peccatum tranſiit. Ita Dominus cum Caro fieret, & Serpentem everteret, in omnes homines iſtiusmodi vigor emanavit, ut ſingulis noſtrum dicere liceat, *mentem Chriſti habemus*. Dum enim Caro in ipſo primum ſanctificatur, fit, ut & nos Sanctificationem ex ipſius plenitudine manantem accipiamus. Quapropter in CHRISTO ſecundum hominem uncto, nos uncti ſumus, uti in ipſo Baptiſato nos Baptiſati, juxta id quod ſcriptum eſt: *Gloriam quam dediſti mihi dedi eis*.

2. *Cor.* 2. *Joh.* 17.

26. Quando Chriſtus dicitur Spiritu ejicere Dæmonia, intelligendum id eſt ſecundum Carnem, non enim Caro ex ſe potens erat ejicere Dæmonia, niſi Spiritu & virtute uncta.

27. Quia

27. Quia & humana & Angelica natura mutabilis eſt, ideoque immutabili aliquo opus erat, ut homines haberent immutabilem Juſtitiæ λόγου imaginem & exemplar. Item, ut in Carne mutabili, ipſe immutabilis exiſtens, peccatum perpetuò damnaret, carnemqne plenè & perfectè aſſereret & liberaret. Item, ut ſi ſerpens eum denuò aggrederetur, omnis ejus vis & fraus incaſſum caderet.

28. Objiciunt Ariani: Filius eſt Præſtantior Angelis factus. E. Angelorum ad Filium aliqua eſt proportio. R. Comparatio propriè locum habet in rebus, quæ ſunt cognatæ naturæ. Hoc loco autem τὸ melior diverſitatem ſignificat, non comparationem, ut: *Melior eſt dies una in atriis DEI præ mille*, cum tamen in atriis DEI, id eſt in vitâ æternâ, non ſit propriè hæc vel illa dies. Ita Novum Teſtam. veteri dicitur melius, illius Sacrificium, Promiſſiones, &c. omnia meliora, id eſt omninò alia & diverſa, non enim hîc eſt comparatio homogeneorum. Pari modo hic ſe res habet: *Filius fundat cælos, ſedet ad dextram Patris*, cui Angeli apparent tanquam Spiritus adminiſtratorii. Nulla hic creatoris ad creaturam propriè dicta comparatio.

ἐν τοῖν ὁμογενέσι.

Pſ. 84.

Heb. 1.

29. Filius ſedens à dextris non habet Patrem à ſiniſtris, ait enim: *Dominus mihi eſt à dextris.* Sed hoc ipſo indicatur, quicquid eſt in Patre Dexterum id eſt Honorabile, id omne poſſidere Filium, juxta illud: *Omnia quæcunque Pater habet mea ſunt.*

Pſ. 16. δεξιὸν καὶ τίμιον. *Job. 16.*

30. Hinc, cum Angeli ſurſum deorſumque commeent, Filius ſemper Patri & hic illic Dexter eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

eſt enim Pater in Filio & Filius in Patre. Et quamvis ratione humanæ naturæ Filius dicitur miſſus eſſe, tamen cum ſit ipſe λόγος, de ſe ait: *Pater qui*
Joh. 14. *in me eſt ipſe facit opera.*

31. Particula *Factus* cum de Filio uſurpatur, ut:
Heb. 1. cum *Filius dicitur præſtantior factus Angelis,* non id intelligitur de Subſtantiâ & Eſſentiâ λόγου, hic enim à
Heb. 1. creaturis excipitur juxta illud: *Thronus tuus DEus in ſecula - & Tu Domine terram fundaſti.* Sed de functione & miniſterio, quod in humano corpore ὁ λόγος complevit. Imo hujus λόγου incarnati adminiſtratio, tanto extitit præſtabilior adminiſtratione Angelorum, quanto Filius ſervo præſtat. Deſignat Ergo hæc particula, miniſterium Chriſti, & certam quandam diſpenſationem vel œconomiam.

32. Sancti, qui nunquam à re ullâ creatâ ſalu-
Jeſ. 12. tem petivere, dicunt de Filio: *Factus es mihi in Salutem.* Hæc pertinent ad adventum ejus in carnem;
1. Pet. 2. quo *peccata noſtra in ſuo corpore in lignum ſuſtulit.* Imò ſi hæc verba de Patre accipiantur, pertinent ad opitulationem in tempore factam, non inferunt Patrem eſſe creaturam.

Ex Oratione Tertiâ.

1. PAtrem eſſe, DEO eſſentiale eſt & naturale. Fœ-
Καρπογόνος οὐκ ἔρημος. cunda enim ſui eſt divina Eſſentia, nec deſerta aut orba, tanquam Lumen non lucens. Creatorem autem eſſe Voluntatis eſt. Nam Creaturæ ſunt extra DEum, nec ex ipſo id eſt ex ipſius ſubſtantiâ creantur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

antur, uti E. Generatio eſt prior creatione, ita Filius non cenſetur ex rebus creatis.

2. Qui ſtatuit DEum Creatorem eſſe, is cauſam non habet cur neget eum eſſe Patrem, hoc enim naturâ prius eſt. Et ſi Eſſentia Divina extra ſe ex nihilo poteſt facere aliquid, ergo multò magis intra ſeipſam fœcunda erit.

3. Habet ergo DEus non extra ſe, ſed intrinſecus. Ex ſeipſo, ſibi intimè proprium, VERBUM ſuum Architectonicum, per quod omnia facit & creat. Hic eſt vivum Patris Conſilium, intra eſſentialis Actus, & verus ὁ λόγος. δημιουργικὸν λόγον. ζῶσα βουλὴ, ἐνέργεια.

4. Filius non foris ſed ex Genitore exiſtit, quod ſi Sancti viri alicubi loco τοῦ generare τὸ creare uſurparunt, ut in illo: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum*, ſciamus quod vocabula res ipſas non tollunt aut perimunt, ſed potius natura dictiones rerum ad ſe trahit, & ex rebus ipſis æſtimari jubet, ſunt enim Eſſentiæ priores vocabulis, non hæc illis. Ut, ſi quis ſervum ſuum comiter appellet Filium. Ita Sara Abrahamum appellabat Dominum, cum tamen conjux eſſet. Batſeba ait Davidi: *Ego & ſervus tuus Salomon.* Cum igitur Filius dicit Patri: *Ego ſervus tuus Filius Ancillæ tuæ*, non propterea negatur Filii natura, propriaque & genuina ex Patre Generatio. Adde quod hæc omnia poſſint ad Humanitatem Filii referri. *Prov. 8.* *1.Reg. 1.* *Pſ. 116.* γνησία ἐκ πατρὸς γέννησις.

5. Quocirca de voce *Creavit* Salva res eſt. Hezechias ait: *Ab hoc tempore filios faciam.* *Joſepho duo filii facti ſunt.* Eva ait: *Acquiſivi virum Dominum.* *In Græco ita:* *Jeſ. 38, 20.* *Gen. 41.* *Gen. 4.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Hîc nemo propter vocem ἐκτησάμην opinabitur Cainum foris emtum eſſe. Voces ergo hæ æquipollent τῷ generari. Natura enim & veritas mentem ad ſe trahunt. Ubi ergo conſtabit, Salvatorem noſtrum eſſe FILIUM, RATIONEM ſive VERBUM, SAPIENTIAM DEI, jam cadet opinio de facturâ.

Pulchrè tamen hîc facem allucet Hebræa veri-
Prov. 8, 22. tas, quæ admodùm emphaticè ita habet: *Dominus poſſedit me, Principium viarum ſuarum.* קָנָנִי רֵאשִׁית
Apoc. 1, 8. juxta id: *Ego ſum Principium*, à qua Græca, longâ
ἔκτισέ με parasangâ recedit, ita reddens: *Creavit me princi-*
ἀρχήν. *pium viarum ſuarum.* Cœterum, quod antè monuimus, hæc ſunto: nos Authoris veſtigia premimus.

6. Quicquid factum eſt, in DEI VERBO & per illud factum eſt. Si ergo ipſum VERBUM factura eſt, per quem tandem λόγον ipſe factus erit?

πιστὸς Heb 3 · 7. Chriſtus eſt *fidelis DEO*, non tanquam cre-
οὐχ ὡς πι- dens, ſed tanqam dignus in quem credatur. Ita di-
στεύων ἀλλ' versâ ratione Abraham & DEus dicitur fidelis. Ad-
ὡς ἀξιόπι- de τὸ fidelis non ad Eſſentiam æternamque Genera-
στος καὶ πι- tionem Filii, ſed ad humanam naturam, & ad Ponti-
στεύεσθαι ficatum ſeu officium Chriſti referri, quia offert fi-
ὀφείλων. dam hoſtiam, id eſt permanentem nec fruſtra cadentem, & habet Sacerdotium, quod nec tranſit,
οὐ διαπί- nec in ſucceſſorem devolvitur. Item, τὸ Fidelis op-
πτουσαν. ponitur Deaſtris gentilium, JESUS enim noſter im-
ἀπαράβα- mutabilis eſt & verbo & opere.
τον, ἀδιά- 68. Aaron genitus eſt homo, certo autem
δεκτον. tempore factus eſt Pontifex: ita Dominus noſter, in

Prin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Principio erat VERBUM, Tempore autem ſuo. Veluti Aaron veſtem talarem, ita Carnem è terrâ ποδήρη. induît, Mariamque, vice rudis illaboratæque terræ, Matrem corporis ſui habuit. Ita ὁ λόγος factus creatusque dicitur, propter Incarnationem.

9. Homines ideò carne amicti ſunt, ut exiſtant & ſubſiſtant, VERBUM verò ideò ut carnem ſanctificet. Eſtque ὁ λόγος in corpore, non ut creatura in creaturâ, ſed ut Conditor in eo quod condidit. Eſſentiâ ſuâ ὁ λόγος eſt Patris Germen, diſpenſatione τῇ οἰκονομίᾳ. autem & incarnatione homo generatus factusque eſt, & quoad humanitatem ejus nihil intereſt, γεννηθεὶς utrum *Filius*, *Servus*, *Creatus*, *Factus*, *Patruelis*, *Sponſus* ἐποιήθη. &c. nominetur. Ἀδελφιδοῦς

10. Cum Petrus ait: DEUS fecit JESUM Dominum, Jeſ. 5. Act. 2. tum non Subſtantiam λόγου, ſed Dominationem in nos factam inchoatamque ait, eo tempore quo homo natus eſt. Non enim præteriri debet, nos, cum in Filio DEI creati eſſemus, gratioſo ejus dominio per peccatum excidiſſe, maledicto, Satanæ, Deaſtrorum cultibus mancipatos. Tum verò Filium DEI, humanâ carne indutum, denuò nos à Satanæ ſervitio vindicaſſe, & ita nos redimendo & liberando, Dominum noſtrum & Salvatorem in tempore cepiſſe fieri. Pertinent ergo hæc verba, non ad generationem λόγου ab æterno, ſed ad officium Immanuelis DEI-HOMINIS. Porro exponi etiam poteſt vox fecit, per τὸ demonſtravit, uti apud Johannem: *Perſequebantur eum Judæi, quod parem* Joh. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

ſe DEO faceret, id eſt demonſtraret, neque enim tunc temporis finxit fecitve ſe DEO parem.

1. Cor. 1. 11. Cum mundus DEum in ſuâ Sapientiâ non cognoſceret, placuit per ſtultitiam prædicationis mundum ſalvum facere, ita: Poſtquam noluimus DEO ſervire per ſimplicem λόγον, VERBUM DEI ipſum, placuit DEO in homine oſtendere ſuam ipſius divinam Dominationem. Per nudum autem hominem id non conveniebat fieri, ne hominis cultores efficeremur. Ideò Verbum caro factum eſt, ut hunc JESUM DEUS faceret Dominum.

ποίημα ἀλλ᾽ ὀυχ ὡς ἓν τῶν ποιημάτων. 12. Ariani dum garriunt Filium DEI creaturam eſſe, ſed talem, qualis creaturarum alia nulla eſt, verſutiam ſuam abſurditatemque produnt, in quo utroque Hæreſeos hujus venenum videre eſt. Dum enim eum creaturam eſſe dicunt, eo ipſo creaturam eſſe negant. Certè ſi creatura eſt, eſt creaturarum aliqua, & eſſentiâ rationeque formali â creaturâ non differt. Etſi enim Lux alia creatura eſt atque nox, tamen utraque creatura aliqua eſt.

Joh. 5, 17. 19. 13. Pater & Filius unum ſunt *& utriusque unum opus eſt.* Si igitur Filius opus aliquod eſt, erit ſuiipſius opus & factura.

14. VERBO omnia facta ſunt, Verbum Ergo factura non eſt, ſed creantis DEI λόγος, qui ex Patris operibus, quæ eadem & ipſe facit, agnoſcitur, quod ipſe ſit in Patre & Pater in eo, ita ut qui videt eum videat etiam Patrem, propter proprietatem Subſtantiæ & Similitudinem, quæ ei eſt per omnia cum Patre.

15. Si

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

15. Si Filius eſt ex non-entibus, quomodo potuit aliquid ex non Entibus creare? Non ergo condidiſſet DEUS Pater per λόγον, niſi VERBUM eſſet propria ipſius Sapientia, Genimen, & Soboles.

16. Pater non cognoſcitur (totaliter & adæquatè) à creaturis. *Nemo enim novit Patrem niſi Filius*, quippe qui ſolus ex Patre eſt. Filius ergo alius eſt à rebus creatis. *Matth.* 11.

17. Angeli inſerviunt Filio, eumque adorant tanquam alium, ab ſe omnibusque creaturis diverſum, & tanquam ſolum, Patris proprium juxta Eſſentiam Filium.

18. Si Filius ideò adoratur ab Angelis, quod gloriæ aliquo gradu ipſis ſublimior eſt, tum omnia ſuperiora ab inferioribus adorarentur, ſed Creatura creaturam non adorat. Angelus Johannem ſe adoraturum non admittit, JEſus autem ait: Ego ſum Dominus & Magiſter veſter. *Joh.* 13. Et Thomam dicentem Dominus & DEus meus, gratum acceptumque habet. *Joh.* 20. Ergo ὁ λόγος eſt extra creaturarum conditionem, Solus proprius & eſſentialis Patris Filius, & proprium, ex Subſtantiâ DEI adorandi, Genimen.

19. Filii eſt talem eſſe ut in eo ſpectetur Pater, is enim ſolus Patrem revelat.

20. Ajunt, DEum volentem creaturas producere, cum videret eas puritatis ſuæ participes eſſe non poſſe, condidiſſe primò omnium unum, VERBUM ſuum, in quo faceret reliqua. Sed Reſp. 1. Pater adeò non faſtidit creaturas, ut ne paſſer quidem in terram cadat ſine voluntate ejus, hæc ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

inanis opinio & ficta eſt. 2. Si Filium creavit in quo crearet reliqua, cur non etiam ante filium creavit alium, in quo crearet Filium? & ita in infinitum.

21. Adminiſtrat DEus res conditas per ſervos, putà Moſen. Per ſolum autem Filium, λόγον & ſapientiam ſuam increatam, creat.

οὐκ ἔχει πρὸς τὰ κτίσματα τὴν ἐξίσωσιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν πατέρα τὴν ἰδιότητα.

22. Tanto diſtat intervallo à Creaturis Filius, ut iis nullo modo poſſit æquari, ſimilisve cenſeri, ſolius autem Patris genuinus ſit & proprius.

23. Sol ignis & aliæ Creaturæ, ad commune univerſi miniſterium, ſingulæ ſua conferunt, & quæ deſunt ab aliis ſupplentur. Verbum autem λόγος operatur omnia in omnibus.

24. Etiam Filio creante ipſe Pater creat. Patri ergo nō opus fuit creato Filio, in quo crearet omnia.

25. Si ideo creavit Filium, ut nos in illo crearet, tum prius de nobis cogitavit quàm de Filio, ita Filius habebit rationem medii & inſtrumenti, nos rationem finis ultimi. Ecce quales ſint Hæreticorum vomitus & nauſeæ, propter quæ tamen veritas ſileri non debet, ſed magnâ voce animoque pronunciari.

ἔμετοι καὶ ναυτίαι. μεγαληγορεῖν πρέπει τῆς ἀληθείας φρόνημα. στηλιτεύει.

26. Ariani contra nos quidem copias aciemque diſponunt, contra DEum autem ipſium præliantur. Nam tota ſacra Scriptura, impietatem ipſorum, tanquam in cippo proſtituit.

27. Uti Sol nunquam fuit ſine ſplendore, ita Pater nunquam fuit ἄλογος, & uti ſplendor, eſſentiæ lucis proprius eſt, nec cum paſſione à Luce procedit, Nec dum emanat eſſentiam ipſam lucis imminuit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

minuit, ita Filius non eſt aliquid ab Eſſentiâ Patris decerptum, nec Eſſentiæ Patris Pars.

28. Hominum verbum ſyllabis conſtat, nec vivit, & antequam enunciatur nihil eſt. DEI autem VERBUM nemo dixerit eſſe pronunciativum. Nec Præceptum DEI Filius eſt, ſed tanquam Lux & Splendor, ita Filius eſt Perfecta Perfecti Soboles & Genimen. Propterea etiam DEI Imago exiſtens, DEus eſt. προφορικόν.

29. VERBUM, eſt ipſa illuſtris vel Lucens SAPIENTIA DEI. Quomodo autem DEus gignat? cur ejus λόγος noſtri ſit diſſimilis? &c. inſaniant qui exquirere auſint. Sunt enim hæc ineffabilia, naturæ DEI propria, quæquè, niſi ab ipſo DEO & Filio ejus, dignè cognoſci non poſſunt.

30. Non ergo noſtræ naturæ commenſurare DEUM ac ejus Sapientiam, nec aliter de eo, ac veritas jubet cogitare fas eſt. Non propterea quod aliquis hæc inquirens hæret, fidem derogare debet iis quæ ſcripta ſunt. Præſtat enim hæſitantes ſilere & credere, quàm ne hæreamus (id eſt ut noſtris cogitationibus per omnia ſatisfaciamus) Verbo DEI fidem derogare. Hæſitans utique veniam impetrare poteſt, etſi enim quærit, tamen acquieſcit, qui autem propterea necubi hæreat, aliquid ſecus ac decet animum inducit, & ita DEO indigna profatur, irremiſſibilem habet audaciæ ſuæ pœnam. ἀπορεῖ. οὐ δεῖ ἀπιστεῖν διὰ τὸ μὴ ἀπορεῖν.

31. Aſterius Sophiſta fabulatur: Unam eſſe DEI Sapientiam, ſine Principio in ipſo exiſtentem ingenitam, talem tamen quæ gignere id eſt creare poſſit, συνυπάρχουσαν Θεῷ ἀγεννήτως. γεννητικὴν δέ.

(hæc

(hæc enim Aſterius & Ariani pro uno habent,) cumque in hac ſuâ Sophiâ increatâ, creaſſet Filium, nominaſſe ajunt Ariani, Filium SAPIENTIAM, propter æternæ illius Sapientiæ participationem, item propterea quia nos erudit & docet, uti propter ea quæ poteſt, dicitur DEI potentia, & Filius propter eos, qui in eo adoptantur.

συμπεπληγμένην καὶ συμπληρωτικὴν τῆς οὐσίας αὐτοῦ.

32. Non decet DEUM dicere compoſitum, quaſi habeat SOPHIAN Eſſentiæ ſuæ inhærentem, quæque Eſſentiam DEI compleat.

33. Præcepta DEI non ſunt Filii, Conditores, Imagines DEI, pro nobis non ſunt Caro facta. Sed unus evangelizatur λόγος, Caro factus, proprius & & genuinus ex Patris ſubſtantiâ Unigena Filius, per quem omnia, ut de aliis cogitandum non ſit.

τελειώσει.

34. In Baptiſmatis initiatione, cur unà cum Patre ſit Filii mentio? Quæ communio hac in re Creatori eſt cum creaturâ? DEus qui λόγον Filium fecit, poteratne nos ſine eo Filios efficere? Anne in Negotio Adoptionis creatura creaturam juvare poteſt?

35. Ideò ergo in Baptiſmo Filius Patri jungitur, quia eſt ejus ſplendor, Potentia & Imago æterna. Et quia impoſſibile eſt, Patrem, id quod præbet, non præbere in Filio. Itaque quem baptizat Pater, hunc baptizat Filius, & quem baptizat Filius, is in Spiritu S. initiatur. Planè ut ſi quis Sole ſplendente dicat ſplendorem lucere, unum enim Lumen eſt divulſionis & ſeparationis expers. Ita Patris & Filii una eſt nobiſcum manſio, una gratia à Patre in Filio data.

36. Peri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

36. Periculum eſt ne Ariani Baptiſmum amittant, non enim habent verum Patrem, negant enim aliquid ex DEO exiſtere & gigni, quod ipſius ſubſtantiæ ſimile ſit. Non ergo adminiſtrant Baptiſmum in Nomine Patris & Filii, ſed in nomine Creatoris & creaturæ. Juſſit Chriſtus baptizare & docere, ut ex doctrinâ fides exiſtat. Ariani ergo quia non rectè docent & credunt, ideò neque legitimè baptizant.

37. Gentiles Atheiſmi arguuntur ex eo, quod
DEUM non fatentur eſſe Patrem JESU CHRISTI, *Eph. 2.*
præ Arianis autem omnes Hæreſes juſtæ cenſeri
poſſent, hi enim in ipſum Patrem impii ſunt, DEI-
tatemque ipſius, quæ in Filio tanquam imagine te- τὴν ἐν υἱῷ
ſtata evadit, blaſphemant, dicentes: Creaturam e- μαρτυρου-
am eſſe, ſemperque de eâ ſuum *non erat*, tanquam μένην.
lutum in pera circumferunt, & tanquam ſerpentes ὡς ἐν πήρᾳ
ſuum virus eructant. βόρβορον.

38. Cumque ad hoc ſuum dogma jam omnes nauſeare, idque faſtidire incipiant, Excellentiam humanitatis Chriſti ubique deprædicant, ut eam ſuſpiciens unusquisque, noxiæ ipſorum opinionis obliviſcatur.

39. Ariani credunt in diſſimilem, Eſſentiæque Patris alienum, inquè eum baptiſantur, ideò coaptantur creaturæ, ex re autem creatâ nulla ſalus. DEO Patri non coaptantur, quippe cujus verum & naturalem Filium non habent. Quid autem cogitabunt, cum videbunt eum quem negaverunt DOMINUM, in Throno Patris?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Prov. 8. 40. Τὸ *Creavit* dictum eſt in Proverbiis, id eſt non ita exquiſitè. Interim SAPIENTIA dum ſe creatam dicit, creatricem ſe eſſe non dememinit,
Prov. 9. ait enim, Sapientia ædificavit ſibi domum, id eſt corpus noſtrum. Porrò pertinet etiam τὸ Creavit ad humanitatem, quaſi diceret: DEus Pater corpus
Heb. 10. mihi perfecit. Item, pertinet ad officium Chriſti, creavit: id eſt certæ functioni me deſtinavit, *ita*
Eph. 2. *creari dicimur ad bona opera.* Quamobrem hoc dictum ad aliorum ſcripturæ dictorum analogiam explicandum eſt.

41. Nos, Quando DEUM Patrem dicimus, naturalem noſtram ſervitutem non negamus, ita Chriſtus Patrem vocans DOMINUM, non negat ſe eſſe Filium.

42. Chriſtus cur ſit homo, cauſam habet: cur λόγος ſit cauſam non habet. Patris enim ſplendor eſt: Jam, uti Pater non habet cauſam quare Pater ſit, ita nec ſplendoris ejus, cur ſplendor ſit, cauſa exquiri debet.

43. De creaturis dicitur; *in Principio fecit*, de Filio, *in Principio erat.* Verbum enim ut ſit, id in nullo Principio, ſed in Patre habet conſtitutum.

Deut. 32. 44. Etiam de hominibus dicitur: *DEum qui te genuit*, ſed ita ut Creationis noſtræ in multò pluribus locis mentio fiat, Chriſtus verò ante omnia dicitur genitus.

45. DEus primò eſt noſter Creator, deinde etiam in Chriſto Pater, in quibus enim videt Filium ſuum, eos & ipſe Filios vocat, Filii autem λόγου, ante omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

omnia ſecula Pater eſt, poſtea etiam ejus creator, quatenus Filius creatitiam carnem induit.

46. *Primogenitus* dicitur ὁ λόγος, non Creaturarum, quaſi ipſe etiam ſit Creatura, ſed *omnis creationis* ut alius à creaturis omnibus eſſe demonſtretur. Dicitur etiam primogenitus, potiſſimum in reſpectu ad fratres ſuos, ob ſimilitudinem carnis, propter humilem ad noſtram carnem demiſſionem. *οὐ κτισμάτων, ἀλλὰ πάσης τῆς κτίσεως.*

47. *Primogenitus* dicitur *inter multos fratres*, *Rom. 8.* Item, *è mortuis*, quia Fideles ejus peculium, in ipſo *Col. 1.* tanquam primo & principio ſuo conſiſtunt. *In Chriſto* enim Unigenito Patris, *eſt nova Creatura.* *2. Cor. 5.* Cæterum nuſpiam omninò Chriſtus dicitur Primogenitus DEI vel Creatura DEI, ſed reſpectu Patris dicitur Unigenitus. Filius. VERBUM. Sapientia.

48. Si ὁ λόγος fuiſſet Creatura antequam homo factus eſſet, non potuiſſet homo cum DEO coaleſcere, nec Creatori mediante Creaturâ coaptari. Nec creatura potuiſſet ſententiam DEI abrogare, & peccata remittere, ſcriptum enim eſt: *Quis ſicut Tu* *Mich. 6.* *DEus auferens peccata.* Sic etiam Diabolus adverſus creaturam ſemper pugnare potuiſſet, & homo intermedius, formidine mortis perpetuâ laboraſſet. Et ita morſus ſerpentis non fuiſſet penitus in carne noſtrâ extinctus. Nec à maledicto vindicati, & DEO eſſemus inſerti, niſi ipſe verus & naturalis DEUS, veram humanam carnem ſibi induiſſet.

49. Non DEIficatus fuiſſet homo, niſi naturaliter ex Patre verum & proprium ipſius VERBUM fuiſſet caro factum. Et ideo ea coaptatio facta &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

inſtituta eſt, ut DEItas vera & naturalis, verum & naturalem ſibi hominem conſereret, ut noſtra ſalus &
θεοποίησις. DEIficatio ſtabilis redderetur.

Prov. 8. 50. Pariter, verba *fundavit me à ſeculo* etiam ad incarnationem referuntur, & fundat λόγος homo factus officium mediatorium, nobisque exiſtit ſalutis fundamentum. Conſtituit autem Pater, λόγον Eccleſiæ fundamentum, in æterno ſuo decreto. Sed quemadmodum Saxum non tunc incipit eſſe, quando incipit fundamentum domûs fieri, ita neque hæc verba de Origine Filii DEI loquuntur.

τῆς αὐτοσοφίας τῆς μονογενοῦς. 51. Nemo opinetur de Eſſentiâ IPSIUS-SAPIENTIÆ unigenitæ dictum eſſe, *creavit me*. Sed propterea ipſa dicta eſt creari, quod Typus ejus increatur operibus DEI, quatenus ſcilicet iis imprimuntur veſtigia æternæ DEI Sapientiæ. Quaſi diceret ἡ Αὐτοσοφία: Eſſentiâ eram in Patre, condeſcen-
συγκαταβάσει. ſione autem ad res creatas, typum & effigiem mei adaptabam & imprimebam operibus DEI. Ut mundus in hac Sapientiâ agnoſceret ſuum opificem,
ὥστε τὸν κόσμον μὴ στασιάζειν. VERBUM, & in Verbo Patrem. Item, ne mundus factionibus divideretur, ſed concordiâ coaleſceret.

52. Tandem autem, DEUS, non ſolis Typis & umbris voluit innoteſcere, ſed ipſam veram SAPIENTIAM, quæ prius per imaginem ſui, rebus creainditam, innotuerat hominibus, juſſit carnem aſſumere, atque ita magis magisque ſe & Patrem orbi revelare.

53. Una

53. Una eſt Cognitio Filii à Patre, & Patris per Filium, Gaudet hac ipſâ Pater, & gaudio Patris in Patre lætatur Filius. Quia igitur SAPIENTIÆ ſuæ ab æterno aggratulatur Pater, & ipſa quotidiè exultat in conſpectu Patris; Ex hoc liquet: Filium non eſſe alienigenam, ſed genuinam ex ſubſtantiâ Patris ſobolem. Non enim in extraneo quopiam, ſed ſeipſum intuens in ſui ipſius Imagine, id eſt VERBO, lætatur Pater. Et ideò etiam rebus creatis gaudet, quia eas in VERBO & SAPIENTIâ ſuâ fecit, Sapientiæque ſuæ ſingulis Typum impreſſit. Ut ita omnis exhilaratio DEI, ex Imagine ipſius ſubſtantiali anſam trahat.

προς χαί-ρει. Pr. 8.

Ex Oratione Quartâ.

1. DE dicto: *Pater in me eſt, & Ego in Patre,* notetur contra Arianos: Non ita Patrem in Filium, & vice verſâ Filium in Patrem tranſcendere, uti in vaſis vacuis videmus, quorum aliud ex alio impletur, ut Filius ſuppleat vacuum Patris, Pater Filii, quaſi alteruter ipſorum, ſine altero plenus & perfectus non eſſet. Eſt enim Filius Plenitudo DEItatis, nec participatione tali qualem diximus Filius, ſed proprium Patris genimen.

Joh. 14. ἐκ ἀντεμ-βιβαζόμε-νοί εἰσιν εἰς ἀλλήλους.

2. Neque ita Filius in Patre eſt, uti in Sanctis, quos DEus Sanctificat roboratque. Nam non minus Filius eſt Patris Fortitudo & Sapientia, quam Pater Filii. Et Filius, eſt is qui eſt, naturâ: Sancti vero tales ſunt gratioſâ tantum communicatione.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

In oratione contra gentes Filium vocat τὴν Αὐτοζωὴν τὸ Αὐτοφῶς &c.

Neque porrò ita Filius eſt in Patre, uti nos omnes in eo ſumus & vivimus. Nos enim vivimus vitâ DEItùs collatâ, Ipſe verò, tanquam ex fonte Patris, Vita eſt, in quo omnia vivificantur & conſiſtunt. Vita enim non vivit vitâ à ſe realiter diſtinctâ, aliàs non eſſet Vita, ſed ipſa vivificat omnia.

3. Filius non tantum propterea dicitur eſſe in Patre, quod quæ dicit, facit, nec non potentiam hæc patrandi à Patre habeat, ita enim ultra Sanctos nihil poſſideret, ſed dicitur eſſe in Patre, prout Solum Filium λόγον Sapientiamque Patris, & Hypoſtaſeos ejus Imaginem decet, videlicet: Ut totum eſſe Filii ſit Eſſentiæ Patris proprium, & Pater ita eſt in Filio, ut τὸ Eſſe Filii, ſit ipſum proprium Deitatis Patris eſſe. Ad oſtendendam ſcilicet Identitatē DEItatis, unitate Eſſentiæ. Suntque Pater & Filius unum proprietate quaſi vernaculâ naturæ, & Identitate unius DEItatis.

ταυτότητα μιᾶς Θεότητος.

4. Pater & Filius, non unum ſunt duobus Nominibus notatum, (quod *Sabellius* volebat) ſed duo ſunt. Pater enim Pater eſt, non Filius. Filius eſt Filius, non Pater. Eadem tamen utriusque eſt natura. Hinc Filius non eſt alius DEus. Nam quanquam alius eſt quatenus eſt genitus, attamen idem exiſtit quatenus eſt DEus. Uti enim una eſt Solis Lux, in ipſo jubare ubique radians, ita una eademque Filii & Patris eſt DEItas, ut qui videt Filium videat Patrem. In Filio enim eſt & conſpicitur Paterna DEItas, & in Paternâ DEItate eſt & conſpicitur Filius. Ergo propria Patris DEItas, ipſam Filii eſſentiam conſtituit.

5. DEus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

5. *DEus erat in Chriſto mundum ſibi in ipſo recon-* 2. Cor. 5.
cilians, proprium enim Eſſentiæ Patris eſt Filius, in
quo Creatura DEO reconciliabatur.

6. Qui in Filium credit, credit in Patrem, ita una Fides eſt in DEum unum. Qui adorat Filium, in eo adorat & veneratur Patrem, ita una eſt DEItas, Adoratio una, quæ confertur per Filium in Patrem. Ita una gratia & Pax, quam Paulus à DEO & JESU Eccleſiis precatur. Uti una eademque Solis Lux, per radios in Splendore diffunditur, ita propter Patris & Filii unitatem, una eſt utriusque donatio. ἑνοειδής.

7. Chriſtus in omnibus ad Patrem reſpicit, dicens: *Pater in me eſt*, *Pater facit opera*, *Pater major me eſt*. Job. 14. Quæ tamen omnia citra λόγȣ criminationem Job. 16. accipi debent. Quæ enim Patri tribuuntur, ut: Ego ſum DEus, nec eſt ullus præter me, ea non opponi debent Filio, ſed Diis falſis. Veluti non ſequitur: Sol illuminat, ergo Jubar ejus non illuminat. DEus enim loquitur per λόγον ſuum, nec eſt aliquid quod DEus dicat faciatque, niſi per Verbum ſuum, uti Sol, non jubar ſuum extra ſe habens, ſed in Jubare ſuo ſeu Splendore Lucem oſtendens.

8. DEus Pater non dicebat Adamo, Ego ſum Solus DEus, quaſi excluſo Filio, ſed poſtea cum homines ſibi idola fingerent, tum dicebat: Ego & non alius, hæc ergo opponuntur Idolis, ut ſciatur quicunque extra Eſſentiam Patris intelligitur DEus, verum eum non eſſe. Filius autem ſolet ſe jungere Patri, dicens: *Et quem miſiſti JESUM CHRISTUM*, qui Job. 17. ſi creatura eſſet nunquam ei, qui ipſam creavit ſe ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

junxiſſet. Nunc Ergo cum ſe Patri conjungit, & ad-
Joh. 14. dit, *Ego ſum Veritas*, oſtendit, quod ipſe ſit naturæ Pa-
1. Joh. 5. tris. Ita Johannes ait: *Sumus in vero illo JEſu Chri-
ſto, qui eſt Verus DEus, & vita æterna.*

Jeſ. 44. 9. DEus ait: *Solus ego extendi cælos*, in ſolo illo utique intelligitur ſolius illius ὁ λόγος, *per quem omnia*
Joh. 1. *& ſine quo nihil factum eſt*, ita in reliquis. Ego unus, ſolus, Ego primus, in illo Primo, uno, coexiſtens intelligitur VERBUM, tanquam in Luce ſplendor.

10. Primogenitus dicitur, quod omnia per ipſum condita, & quod adoptatio omnis per eum. Pater primus, & ipſe primus, quia primi illius Imago, & ipſe ille primus, in eo eſt & cernitur.

11. Objicitur: Filius & Pater unum ſunt, unitate Judicii, & voluntatis, quia placita Filii, à Patris placitis non diſcrepant. R. Ita etiam Angelos fore cum DEO unum, Decreto enim DEI dicto audientes ſunt. & hoc contemnens audivit vocem: *Quo-*
Jeſ. 14. *modo de cælo cecidiſti Lucifer?* Ita Sanctorum multi ſunt Chriſti imitatores, Nemo autem eorum dicitur Sapientia & Unigenitus, neç eorum quiſpiam ait: Ego & Pater unum.

Heb. 1. 12. De ſolo Filio dicitur, quod ſit *vera Icon &*
Exod. 15. *Character Patris*, de reliquis: *Quis tibi ſimilis erit inter DEOS DOMINE?* Dicimur quidem DEI Imago, verum non primariò propter nos ipſos, ſed propter λόγον Imaginem DEI in nobis habitantem.

13. Jacob bona precatus nepotibus ſuis, ab *Angelo Liberatore*, intelligit ipſum increatum λόγον,

Ange-

Angelum magni conſilii, quem ipſe invocabat, dicens: *Non te derelinquo donec benedicas mihi*, & iterum: *Vidi DEum à facie ad Faciem.* Liberare & benedicere, non convenit creaturæ, non ergo Jacob cum DEO copulat creaturam, ſed λόγον ſuum quem Angelum vocat, quia Patrem revelat. *Jeſ. 9.* *Gen. 32.*

14. Nemo unquam ita concepit Preces: Det tibi DEus & Angelus, nam DEO dante Angeli non dicuntur dare, niſi in quantum ſunt adminiſtratorii ſpiritus. Quando autem Paulus ait: *Gratia & Pax à DEO Patre noſtro, & à Domino JEſu Chriſto*, unitas utriusque, una utriusque gratia, & unus eam dandi modus intelligitur. *Rom. 1.*

15. Abraham viſo Angelo, non putat ſe vidiſſe DEum, hic enim ab illo multum diſtat. Cum autem Angelus è Rubo ait: *Ego ſum DEus Patris tui*, Item, cum Dominus è columnâ ignis & ê tabernaculo ad Moſen loquitur, tunc loquitur in Angelo Dominus, quæ autem Dominus loquitur ea loquitur per VERBUM ſuum. Hinc qui videt Angelum, ut: Zacharias, Gideon, *manoa* non ſtatim videt Dominum, qui autem Filium λόγον videt, is non videt creaturam Angelo majorem, ſed ipſum Patrem. *Exod. 3.*

16. Ariani Filium & Spiritum S. initium accepiſſe ajunt: & tamen Filium DEum vocant. Polytheiſmi ergo rei ſunt. Duobus Dominis Serviunt. Duas Fides habent. Nec poſſunt alterum in altero, Patrem in Filio, cum diſſimilis naturæ ſint, plenè videre & cognoſcere.

17. Nobis autem DEitatis forma una eſt, eaque

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

eſt etiam in Verbo. Unns eſt DEus Pater, in ſeipſo, ita ut etiam in omnibus ſit, & in Filio appareat, *& ex*
Hæc nõ ſunt in Græco. *Filio agnoſcibilis deprehenſibilisque ſit.* Quique ita in Spiritu S. conſiſtit, ut omnibus per VERBUM in Spiritu operetur. Atque ita unum per Trinitatem confitemur DEUM, & unam ſimplicem in Trinitate DEitatem ſtatuimus.

18. Non columbæ eſſe jubemur, ſed ſimplices uti columbæ. Perfecti ut Pater noſter, id eſt, eum pro viribus æmulari, & ad ejus quaſi formulam
ἐκεῖθεν τυπωθῆναι. refingi. Ita Filii DEI ſumus, non tamen uti naturalis ille, ſed gratioſè acceptati in dilecto. *Ipſe Ve-*
Joh. 14. *ritas*, nos *in veritate Sanctificati.* Hinc videre eſt, par-
Joh. 17. ticulam quemadmodum, non ſemper Identitatem & æqualitatem, ſed pro re natâ ſimilitudinem quan-
Joh. 17. doque inferre. Veluti in eo dicto: *ut ſint unum, quemadmodum & nos.* Ubi ſignificatur: Nos homines ſimilitudine aliquâ, & rudi formulâ, habentes pro Archetypo Exemplari, Filii cum Patre naturalem unitatem, & in Chriſtum reſpicientes, debere eſſe unum.

19. Loco nihil, naturâ omnia à DEO procul diſtant.

20. Chriſtus dicit: *Ego in illis & tu in me*, ſignificans ſe eſſe in hominibus carnem factum, Patrem autem in ipſo eſſe, quia per Patrem in λόγῳ, hominibus ſalus obtigit. Hinc homines à peccato liberati, non
Θεοποιηθέντες. Φορεθέντες. amplius mortui ſunt, ſed DEI effecti, unum in Chriſto & Patre, & tum demum perfecti, quando à Chriſto ſuſtentati, unum corpus, & unus Spiritus redduntur.

21. Si-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

21. Sine DEI Spiritu, omnes nos à DEO quàm
longiſſimè abſumus. Filius autem non eſt in Patre
mediante Spiritu S. tanquam à priori, nam Spiritus
à λόγῳ accipit. Filius Ergo per naturam eſt in Pa-
tre, nos mediante Spiritu Sancto.

22. Atqui ajunt: Filio accedit aliquid in tem-
pore, *Proficit Filius Sapientiâ. Non novit Diem extremi* *Luc. 2.* *Marc. 13.*
Judicii. E. non omnia habet naturâ & ab æterno.
Reſp. 1. Potuiſſe addi: quod etiam homo factus ſit in
tempore, non ergo poſſe eſſe DEum ab æterno. Hoc
enim illud erat, cui Judæi olim obmurmurabant, &
Ariani nunc fidem derogant. Judæi ita arguebant;
Hic eſt homo, ergo non poteſt eſſe DEus. Ariani i-
ta: Proficit, exaltatur, ergo non eſt DEus. Neutri
æquis auribus accipiunt, DEum proprium eſſe Pa-
trem JESU CHRISTI. 2. VERBUM aſſumtâ Car-
ne homo factus eſt, & ita corporaliter in Carne ha-
bitavit DEitas. DEus ergo cum eſſet, proprium
corpus cepit, eo utens ut organo. Hinc propria car-
nis, & quarum ipſa capax eſt affectiones, ut: Eſurire,
Fatigari, & aliæ infirmitates, ipſius λόγου dicuntur.
Τοῦ λόγου autem opera propria, ut: excitare mortuos,
& alia, per proprium corpus efficit. Et ita ὁ λόγος
carnis infirmitates perfert tanquam proprias, ipſius
enim erat caro, & caro ſubſervit DEitatis operi- ὑπουργεῖ.
bus, in ipſâ enim carne fiebant, quæ DEI erat cor-
pus.

23. Carne patiente, non erat extra ipſam ὁ λό-
γος, quocirca etiam ipſius λόγου dicitur paſſio. Et
Verbo, divinâ planè ratione, opera Patris ſui Patran- Θεϊκῶς.

te,non erat extra ipſum Caro, ſed in ſuo corpore Verbum ea patrabat.

Job. 9. 24. Super cœcum à nativitate, humanum de carne emittebat Sputum; divino autem modo oculos aperiebat per lutum.

25. Par erat, Dominum cum noſtram carnem indueret, ſimul eam totam cum omnibus induere paſſionibus, ut quemadmodum hoc proprium ejus dicimus corpus: (Verbi enim erat Caro, quia ὁ λόγος caro factus.) Ita & corporis paſſiones ipſius λόγου dicantur, etſi DEitatem ejus non attingant. Hinc nullius niſi Domini dicuntur paſſiones, ut etiam gratia ex ipſo redundet, nec alterius ſervi efficiamur, ſed verè DEI cultores, quia creaturam nullam, nec communem hominem, ſed DEI naturâ, Verum DEum Filium; & hunc quidem hominem factum, non tamen minus Dominum & DEum ipſum, pro Salvatore invocamus.

Διὰ τοῦ σώματος. οὐκ ἐθεοποιήθη. 26. Niſi DEitatis λόγου opera per corpus facta eſſent, non eſſet DEificatus homo, & rurſum, niſi Carnis propria ipſi adſcriberentur λόγῳ, non perfectè liberatus eſſet homo.

27. Etiam Sanctos ab utero ut Joh. Baptiſtam &c, *ἰδιοποιουμένου τὰ τῆς σαρκὸς.* mors manſit, VERBUM verò cum homo fieret, ſibique ea, quæ carnis ſunt appropriaret, & ita originem noſtram cum omni infirmitate in ſe transferret, non jam mors carnem tangit, propter λόγον in *ἀνήλωτο.* eâ habitantem, ſed ab ipſo mors conſumta eſt. Reliquos autem homines quod attinet, non tam ipſi propter proprias paſſiones manent peccatores, &

mortui,

mortui, quàm vi potentiæ λόγȣ immortales & in-
corrupti.

28. Carne natâ ex Deiparâ Mariâ, ipſe dicitur ἐκ τῆς Θεο-
natus, qui aliis ut naſcantur & ſint præbet, ut no- τόκȣ.
ſtram nativitatem in ſe transferret, & ne, tanquam
terra duntaxat exiſtentes, in terram reverteremur,
ſed ut λόγῳ, qui ex cœlo eſt, annexi, ab ipſo in cœ-
lum introduceremur, & ut non tanquam homines,
ſed tanquam λόγȣ proprii, æternæ vitæ participes ἴδιοι τȣ͂
redderemur. λόγȣ.

29. Veluti omnes ex terrâ exiſtentes, in Ada-
mo morimur, ita deſuper ex aquâ & Spiritu renati,
in Chriſto vivificamur. Tanquam ſi caro noſtra λογωθεῖ-
non ſit amplius terrena, ſed λόγȣ particeps, propter σα.
DEI verbum λόγον, qui propter nos caro factus eſt.

30. Quando Salvator dicitur eſurire, flere, ca-
licem deprecari, tum dicimus cum Petro: Ipſum
Chriſtum flere pro nobis, carne. ὁ λόγος quidem
naturâ eſt impatibilis, ſed tamen propter carnem,
quam aſſumſit, hæc de eo dicuntur, quia & illa pro-
pria ſunt carnis, & caro hæc, proprium eſt corpus
Salvatoris. Interim ipſe λόγος impatibilis exiſtens,
paſſiones haſce in ſe profligat. Et homines, trans-
latis ſuis paſſionibus & miſeriis, in illum, qui impa-
tibilis eſt, ibique pereuntibus, æternùm ab iis liberi
redduntur.

31. Caro cum mortalis ſit, cur reſurgit, aut ſi
reſurgit, cur non denuò eſurit? Reſpondeat ipſa
pro ſe caro: Sum quidem ex terrâ, naturâ morta-
lis, ſed tamen ipſius λόγȣ caro, & hic portavit paſſio-

nes meas, qui cum ſit impatibilis, hinc ego ab iis facta ſum libera. Liberata ſum à naturali corruptione, quia DEus λόγος, meam ſervitutis formam aſſumſit.

32. Dominus corpore indutus homo eſt factus, ideò nos homines à λόγῳ DEificamur, propter carnem ejus aſſumti.

33. Cum videmus Chriſtum, per organum carnis ſuæ divino modo aliquid dicere vel facere, ſcimus DEum eſſe, qui hoc operatur. Item, videntes ipſum humano more loqui, pati, ne ignoremus quod carnem geſtans factus ſit homo.

σάρκα φορῶν γέγονε ἄνθρωπος.

34. Agnoſcamus in Chriſto 1. utriusque naturæ propria, 2. ea quæ ad utramque naturam pertinent ab uno fieri. Id eſt: naturas earumque propria diſtinguere, & Perſonam, quæ divina & humana operatur, non dividere.

ἑκάστου τὸ ἴδιον. ἀμφότερα πὰρ ἑνὸς πρατλόμενα.

35. Ariani, propter ea, quæ de Chriſto humano more dicuntur, negant ejus DEitatem, cur non propter ea, quæ de eo divino more prædicantur, negant humanitatem ejus? Neutrum faciet, qui reputabit λόγον eſſe carnem factum.

ἀνθρωπίνως θεϊκῶς.

36. Quæ Chriſtus habet quatenus DEus, ea poſtulat ut Filius, & dicitur ea habere à Patre, naturâ tamen & ab æterno. Non quod ea aliquando non habuerit, ſed ne quis Sabelliano more Filium dicat eſſe Patrem.

37. Si omnia Filio tradita ſunt, ergo Filius alius eſt & diverſus à rebus creatis, quæ tradita ſunt, ſi enim ipſe eſſet ex iis omnibus creaturis, tunc non eſſet omnium hæres.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

38. Tò Dedit, non notat, Filium ea quæ dantur anteà non habuiſſe, ipſe enim Servator ſe explicat: *ITA dedit Pater Filio habere vitam in ſeipſo, uti ipſe Pater habet eam in ſeipſo.* Ergo To Dedit, ſignificat Filium non eſſe Patrem. Tò *ITA habere vitam ut Pater habet eam in ſeipſo*, ſignificat Filium ab æterno poſſidere vitam in ſeipſo, uti eam ipſe Pater poſſidet. Non ergo ideo dicitur Filius accipere quod à Patre habet, quod aliquando id non habuerit. *Job. 5.*

39. Pater ita dedit Filio omnia, ut Pater in Filio tamen omnia poſſideat, Filioque poſſidente tamen retineat. Eſt enim Filii DEitas ipſa Patris DEitas.

40. Chriſtus ſi DEus eſt, cur quærit: *Quot Panes habetis? Ubi ſitus eſt Lazarus?* Reſp. 1. Non ſtatim, qui quærit, ignorat, nam & DEus quærebat Adam ubi es? Hinc additur: hæc dicebat tentaturus. Item, jam abſens dicebat Lazarum eſſe mortuum. Imò novit ipſum Patrem, quanto magis cœtera. Certum igitur eſt, eum tanquam VERBUM & λόγον omnia ſcire, interim tamen, uti dum caro fit, non deſinit eſſe λόγος, ita, dum DEus permanet, non deſinit eſſe Verus Homo. Homo autem factus SacroSanctus DEI λόγος, non ſolum noſtram carnem Deificat, ſed & noſtram ignorantiam in carne bajulat, ut nobis cognitionem Veri ſui Patris largiatur. *ὁ πανάγιος*

41. Quæ Chriſtus accepit ſecundum hominem, ea tamen ipſe DOMINUS accepiſſe dicitur, & eorum acceptionem ipſe Dominus ſibi appropriat, ut Gratia, tanquam ipſo Domino eam accipiente, & *ἰδιοποιεῖται.*

tan-

tanquam in ipſo Domino requieſcens, eo firmior eſſet, ne nudus homo uti Adam exiſtens, eam amitteret.

42. Si dicimus Chriſtum aliquid in tempore accepiſſe, ſecundum DEitatem, tum λόγον divellimus à Patre tanquam Imperfectum. Humanitatem autem gtatiâ acceptâ evacuamus. Imò λόγον melioris conditionis factum eſſe propter carnem dicimus, quàm carnem propter ipſum. Porrò, ſi λόγος quatenus λόγος, vel juxta DEitatem glorificatus & Sanctificatus eſt, qualisnam hominibus eſt relicta ſpes? Nam quæ DEO quatenus DEO data ſunt, quid ea ad homines? Eccur autem ad nos commigravit λόγος Caro factus, niſi ut acciperet quæ accepiſſe dicitur, eo fine ut homines DEificaret?

χάειτος ἐρημῶμεν.

43. Etiam *tum, cum peteret Gloriam*, gloriæ Dominus erat, & ipſam *quam petebat gloriam*, *habebat antequam mundus eſſet*. Solvebat enim ea quæ Satanas ligaverat, & peccata remittebat. Quæcunque ergo habebat quatenus λόγος erat, ea dicitur ſecundum humanitatem accepiſſe, ut quia Caro in ipſo hæc accepit, porrò ex carne hæc omnia in nos tranſirent, & permanerent.

Joh. 17.

ἀνθρωπίνως.

44. Cum DEI Filius in patrandis miraculis expuit, manum extendit, non hæc humana facinora, ſed DEI, etſi per carnem facta ſunt.

κατορθώματα.

45. Patris opera faciebat per carnem, & rurſus paſſiones carnis oſtendebat in ſeipſo. Quia enim VERBUM caro factum eſt, ideò paſſiones ſunt carnis propriæ: quia autem tam Caro, quam Paſſiones

ἐδείκνυτο.

ſuſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

ſuſtinentur in ipſo λόγῳ, hinc potentia & gratia eſt ipſius λόγου.

Θεοφορεῖ-ται ἐν τῷ λό-γῳ.

46. Diem Judicii ſciviſſe Dominum patet: quia ſcivit quæ ipſam proximè anteceſſura erant, dicens: & tunc finis. Item, quia Filius novit Patrem Ergo multò magis totum creationis negotium, & in hoc toto finem univerſi. Item: ſi hæc hora definita eſt, per Patrem in Filio definita erit. Item: quia omnia, quæ Pater habet, Filii ſunt. Item: quia Filius Imago Patris eſt, erit ergo ei etiam in Omniſcientia ſimilis. Neſcivit autem quoad humanitatem, quia non in creando cœlo, & quatenus omnia cum Patre diſponit hæc dicit, ſed tum, cum Caro factus eſt.

ad Locum Marci 13. τὸ ὅλον τῆς κλίσεως.

47. Spiritum S. ſcire hunc diem præſupponit Dominus, de Spiritu enim Sancto tacet. Multò Ergo magis diem extremum novit ὁ λόγος, à quo Spiritus accipit. Dicit autem Filius, ſe neſcire, quantum ad humanum ſuum miniſterium attinet.

περὶ τῆς ἀν-θρωπίνης λειτουργίας.

48. ὁ λόγος carnem induerat, quæ aliquid ignorabat, in quâ exiſtens, juxta Carnem dicebat, non novi. Ut homo cum hominibus eſurit, ignorat: ut DEus, diem quâ ipſe ceu Judex & Sponſus venturus eſt, ignorare non poteſt.

σαρκικῶς.

49. Hinc Chriſtus poſt Reſurrectionem non amplius dicit ſe neſcire, ſed: *non eſt veſtrum ſcire tempora & momenta*, cum enim Caro ejus depoſuiſſet mortalitatem & Deificata eſſet, jam non amplius eum decuit carnaliter reſpondere. Item: utile erat audire; Filium ignorare diem extremum, ne

Actor. 1. σὰρξ ἀπο-θεμένη νέ-κρωσιν καὶ Θεοποιη-θεῖσα.

ne poſtea, Dæmonibus & Antichriſto multa garrientibus, crederetur.

50. Filius DEI in Patre perfectus exiſtens, proficere non poterat, ſeipſum autem humiliavit, ut ejus humilitate nos proficeremus.

51. Humiliatio autem ejus eſt carnis acceptio, deque Filio DEI dicitur ipſum profeciſſe juxta humanitatem, additur enim profectui ætas apud Lucam.

52. Item, profecit in eo manifeſtatio DEitatis coram videntibus. Quantò autem magis Divinitas revelabatur, tantò magis innoteſcebat, ipſum eſſe Templum DEI, DEumque in corpore ejus exiſtere.

53. Ipſum VERBUM Caro factum, proficiebat Carne, (non enim extra carnem exiſtens Verbum proficiebat) idque ideò, ut hominum in Chriſto profectus, propter λόγον in carne habitantem, ſtabilis eſſet. Neque enim SOPHIA ſeu Sapientia ipſa, quatenus Sapientia, ſecundum ſemet, ſed humanitas in Sapientiâ profecit, tranſcendens ſenſim humanam indolem, & Deificata, & organon SAPIENTIÆ ipſius exiſtens, in edendis divinis operibus.

προκοπὴ ἄπλωτος. ὄργανον πρὸς τὴν ἐνέργειαν τῆς Θεότητος.

54. Idem *qui deprecabatur Calicem, Petrum ſe prohibiturum anteà increpuerat.* Et inimicis dicebat Ego ſum. Λόγου enim erat Velle, Carnis Paveſcere. Attemperavit autem ſuam Voluntatem λόγος, humanæ infirmitati, ut noſtrum timorem tolleret, noſque contra mortem audaces redderet, quemadmodum in Apoſtolis & Martyribus apparuit.

Matth. 26. *Matth.* 16.

55. Tan-

55. Tandem: Si Ariani propter humana ea, quæ de λόγῳ dicuntur, ſtatuunt eum eſſe hominem, cur non propter Divina ea: *Ego & Pater unum ſumus. Ego in Patre & Pater in me*, &c. non credunt eum eſſe DEum.

56. Cœterum omnibus his reſectis, ecce novum Hydræ caput. Ariani enim ajunt: Voluntate & arbitrio Patris λόγον eſſe Genitum. Reſp. Si hoc orthodoxi dicerent, nemo aliquid mali ſuſpicaretur, vincente mente piâ, modum loquendi ſimpliciorem. Hæreticorum autem omnia verba, imò & ipſi nutus doli ſunt. Apud ipſos ergo hæc vox idem eſt, ac: Erat, cum non erat. Dicunt enim cum Valentinianis, Primò cogitaſſe DEum, deinde ſuperveniente voluntate generaſſe Filium. Secundum nos autem, res quidem creatas anteceſſit voluntas DEI & decretum: Pater autem proprium ſuum VERBUM naturâ ex ſe generat, non ita ut velit antequam generat. Nec fas eſt, ante λόγον cogitare in DEO voluntatem aliquam, in ipſo enim λόγῳ Pater omnia & vult & facit, & voluntas DEI de omnibus quæ aliquando facta ſunt, in VERBO λόγῳ eſt. Adde quod ſcriptura in negotio æternæ Generationis, Voluntatis aut decreti DEI, eam antecedentis, non meminit. φύσει γεννῶν, ὀ προβόυλεται.

57. Si ὁ λόγος Patris voluntate factus eſt, hæc ipſa Voluntas DEI, in quo tandem λόγῳ concepta eſt. DEI voluntas enim non eſt in aliquo eorum quæ creata ſunt, ſed in eo per quem & in quo fiunt omnia, id eſt in λόγῳ. Ergo aut hic λόγος, factus e-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

rit voluntate DEI, in alio λόγῳ fundatâ, quod abſurdum, aut hic λόγος erit is, in quo ipſa æterna DEI voluntas, per quem & in quo omnia.

58. Ergone inquiunt, Pater nolens generavit Filium? Reſp. Voluntas in hac controverſiâ non contradiſtinguenda eſt Nolentiæ, & τῷ non velle, vel ei quod eſt contra voluntatem, ſed ei quod eſt ſupra voluntatem, & voluntate prius, quod eſt natura, vel id quod eſt ſecundum naturam. Voluntate præviâ DEus creat mundum, & ea quæ ſunt extra ſe, Filium autem generat naturâ. Non igitur hîc urgendæ ſunt Antitheſes, Ergo ex neceſſitate, Ergo præter mentem. Ita DEus non præcedente animi intentione bonus eſt, eſt enim ipſa æterna bonitas, nec tamen præter intentionem, ſed naturâ bonus eſt.

59. Aliam quæſtionem contra Adverſarios Authorκατ' ἀνθυποφορὰν infert: cui tamen τὸ ἱλάσθητι δέσποτα reverenter præfatur: Utrum ipſe Pater voluntate præcedente ſit Pater? Quod cum de eo cogitare nefas, ergo neque de Filio ſimile quid ſtatuendum.

ζῶσα βουλή. 60. Filius non voluntate Patris factus, ſed viva voluntas & conſilium Patris eſt. Potentia Archi-
δύναμις δημιουργός. tectatrix eorum quæ Patri viſa ſunt. Prudentia in
φρόνημα. quâ Pater creavit cœlos. Idem Filius, Sapientia Pa-
Prov. 8. tris, ait in proverbiis: *Meum eſt Conſilium, mea Cautio, meum Robur*, ipſe eſt Veritas, Lumen, & in eo eſt
1. *Theſſ.* 4. Deſiderium Patris, dicente Apoſtolo: *Hæc eſt volun-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

tas DEI in Chriſto JEſu. Voluntas ergo omnium eorum quæ DEo placent, in Chriſto repoſita eſt.

61. Filium, non Voluntatis, ſed ipſius Eſſentiæ DEI ſplendorem & Characterem prædicat Apoſtolus. Non ergo voluntate præviâ, ſed ex ipſâ æternâ ſubſtantiâ Patris exiſtit. Et quemadmodum ipſa Eſſentia & Hypoſtaſis Patris non eſt voluntatis antegreſſæ; ita neque id, quod paternæ Eſſentiæ proprium eſt. Ergo neque ea Imago, in quâ Hypoſtaſis Patris plenè relucet, erit voluntatis. *Heb. 1.*

62. Filii eſſe, non quidem ex voluntate Patris Principium duxit, non tamen Filius Patri invito extitit: ſed naturâ exiſtentem Filium diligit Pater, omniaque ſua opera ei oſtendit. οὐκ ἔστι πατρὶ ἀθέλητος.

63. Pater uti ab æterno naturâ bonus, ita etiam ab æterno generativus & fœcundus. γεννητικός. Quod autem Pater vult amatque Filium, ſubſtantiæ ſuæ proprium, uti vult amatque propriam eſſentiam, & Filius Patrem, eâque voluntate alter in altero eſſe cognoſcitur, id non voluntatem antecedentem, ſed naturæ genuitatem, & Eſſentiæ proprietatem & ſimilitudinem arguit, id eſt: oſtendit Filium cum Patre ejuſdem eſſe genuinæ divinæ naturæ & eſſentiæ. φύσεως γνησιότητος.

64. Is qui gignit, non tam prædeliberando, quàm naturæ ductu & vi Pater redditur, & naturâ, non voluntate Parentum, Filii redduntur imago eorum qui eos genuerunt. Sed deſinamus humana de DEO ratiocinari.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Ex Oratione Quintâ.

1. CRiſtus eſt ex DEO DEUS & VERBUM, DEus enîm erat VERBUM. Et propterea unus eſt DEus, quia VERBUM, unius DEI Filius exiſtens, in eum, cujus eſt, reflectitur & refertur, ut duo quidem ſint Pater & Filius, unitas tamen Deitatis indiviſa ſit.

Ἀναφέρεται.

2. Unum eſt Principium DEitatis, & propriè eſt unum. Ex ipſo eo Principio naturâ eſt λόγος, Filius, non ut Principium aliud, ſeipſo (ſeorſim) ſubſiſtens, nec extra illud unum Principium, ne ita alius ſtatuatur, ut Principium duplex oriatur. Sed unius illius Filius proprius, propria Sapientia. Juxta Johannem enim in ipſo Principio erat ὁ λόγος. Et hoc Verbum erat apud DEUM. DEUS enim eſt ipſum Principium, & quod ex & in ipſo Principio VERBUM erat, id DEUS erat. Uti enim unũ eſt principium & unus DEUS, ita Verè exiſtens Eſſentia una eſt, quæ dicit: *Ego ſum qui eſt*, & non duo. Ex hoc uno Principio naturâ & verè eſt Filius λόγος, Sapientia Potentiaque propria hujus Principii (DEI Patris) exiſtens, & ex eo, inſeparabilis tamen, neque enim eſt aliud Principium, ne duo introducantur.

μία Ἀρχὴ καὶ Κυρίως μοναρχία. Καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς. ἵνα μὴ τῇ ἑτερότητι δυαρχία γένηται. ὁ ὤν. Apoc. 1.

3. VERBUM hoc non eſt vox ſignificativa, aliàs enim DEUS loqueretur in aërem, quæ imbecillitas humana de DEO cogitanda non eſt, ſed ſubſtantiale ejus VERBUM, ſubſtantialis Sapientia. Uti enim una Eſſentia, unum Principium, ita hujus Eſſentiæ

Φωνὴ σημαντικὴ. οὐσιώδης λόγος καὶ σοφία.

ſentiæ unum Eſſentiale & ſubſiſtens Hypoſtaticum
VERBUM datur, & SAPIENTIA. Ut enim ex DEO ὑφεςὼς λό-
DEUS, ex SAPIENTE SAPIENTIA, ἐκ λογικοῦ λόγος, γος καὶ
ex Patre Filius, ita ex Perſonâ ſubſiſtens, ex Eſſentiâ σοφία.
Eſſentialis & Intra Eſſentialis, ex Eo qui Eſt, Is qui Eſt. ἐνούσιος,
Si enim non eſſet Eſſentialis SAPIENTIA, & VER- ἐξ ὄντος ὢν.
BUM Patri InEſſentiale, ſeu Patris Eſſentiæ inti-
mum, & Filius ejusmodi, qui eſt ipſum illud Pri-
mum Ens, ſed ſimpliciter SAPIENTIA, & Ratio, &
Filius in Patre, tum Pater eſſet compoſitus ex Sapien-
tiâ & Verbo.

4. Ita porro hic Articulus de Patre & Filio ex-
plicandus eſt, Primò ne in DEO ſtatuatur qualitas,
quaſi DEus ſit compoſitus ex Eſſentiâ & qualitate,
cum divina unitas ſit indiviſibilis. Secundò ne in
DEO ſtatuantur otioſa & inania Nomina, quibus
nihil rei ſubſit. Tertiò: Ne Pater ita eſſe ſtatua- αὐτοσοφία
tur ſuiipſius Sapientia & ſuiipſius VERBUM, quaſi καὶ αὐτόλο-
ipſe ſuiipſius eſſet Pater, ipſe ſeipſum gignens à ſei- γος.
pſo genitus. Ita enim eſſet Pater, cum dicitur Sapi-
ens Filius, cum dicitur SAPIENTIA. Filius ergo κυρίως.
propriè & principaliter erit Genimen ex Patre, uti
ex Igne Lumen, ita Sapientia ex Patre, Filius.

5. Hac ratione & Unitas manet indiviſibilis μονὰς ὁλό-
ac integra, & VERBUM ejus, non Eſſentiæ erit, non κληρος.
Hypoſtaſeos expers, ſed verè eſſentiale & perſonale
quiddam, aliàs omnia quæ de Filio dicuntur, erunt κατ᾽ ἐπί-
tantummodo ſecundum notionem aliquam men- νοιαν.
talem dicta, quod Sabellianum eſt.

6. Filius non ipſe ſeipſo ſubſtitit, & poſt adhæ-
ſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

ſit Patri, aliàs eſſent duo Principia, nec Filius eſſet Patris proprius, ſed eſſet ſuiipſius. Eſt igitur à DEO, ita ut aliud ſit eſſe ex DEO, aliud ipſe DEUS ex quo eſt. Alias generans & generatum, cauſa & cauſatum (quod Poſterius Latini dicere formidant) eſſent idem.

Αἴτιον καὶ Αἰτιατόν.

7. Sabelliani redarguendi ſunt propter fictionem Mentis de Filio, quem alium à Patre eſſe negant. Ariani propter errorem de Patre, quem ab æterno in ſeipſo ſine Verbo fuiſſe fingunt. Jam cum DEus nunquam talis fuerit, ergo ab æterno ſuam SOPHIAN & λόγον poſſedit, non certè aliunde, nec ex nihilo, ſed ex ſe Genitam prognatamque, quæ vox ſcripturæ in hoc myſterio, fugienda non eſt.

ἄλογον.

8. Is ὁ λόγος, in quo facta ſunt Omnia, factus eſt caro. Si Filius non eſt is in Patre λόγος; Ergo Filius DEI non eſt factus Caro, quod Abſurdiſſimum.

9. Non compoſitus eſt DEus ex Sapientia & Eſſentiâ, ſed ſui λόγου ſive SAPIENTIÆ generativus. Uti enim creata Verbo architectatur, ita juxta naturam propriæ ſubſtantiæ habet Genimen VERBUM, & Filius eſt illud Genimen, vel: Idipſum quod DEus ex ſe generat eſt Filius, per quem operatur omnia.

γεννητικός.

10. Creaturis DEus appropinquat, & eæ viciſſim DEO. Cum enim foris ſint, & per naturam DEO extraneæ, per voluntatem ei adjunguntur. De Filio autem dicitur, quod ſit in Patre, & Pater in eo.

11. Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

11. Nec obſtat quod DEus Filio dicitur aliquid donaſſe: Nam & ſupra ad id reſponſum eſt, & jam notamus: λόγον circumtuliſſe corpus ſuum, ut DEI hominumque Mediator factus, quæ DEI ſunt hominibus, quæ hominum, DEO miniſtraret. Noſtras paſſiones, ut: Eſurire, lacrymari, à nobis acceptas Patri offert, legatione & interceſſione fungens pro nobis, ut hæ ipſæ in ipſo tollantur. Cum autem dicitur datum eſt, accepi, tum hæc ſunt dona, quæ per eum in nos collata ſunt. Propter enim perque λόγον Pater nobis dat, & tanquam ſi ipſi daret, nobis dat. Nudus homo horum non haberetur dignus. Solum autem DEI VERBUM horum non egeret. Nobiſcum ergo VERBUM coaluit, & ita VERBUM in homine exiſtens, ſuperexaltavit hominem. Et verbo in homine exiſtente accepit homo hæc omnia. E contrario, quoniam ὁ λόγος infirmitates noſtras accepit, ipſe non infirmatus, ideò eas à nobis aliò transfert, ut extinguantur.

ἐφόρεσε · πρεσβεύων ὑπὲρ ἡμῶν. · ἀφανισθῇ. · ἀναπέμπει.

12. Aliqui dicunt: Merum nomen eſſe Filii, Eſſentiæ & Hypoſtaſεως expers, & ſimulant ſe nolle dicere Erat, quando non erat. Sed hæc opinio, λόγῳ Eſſe ſuum omninò detrahit.

13. Chriſtus & Pater unum ſunt. Non unum in duo diviſum, ita enim Neutrum eſſet perfectum. Non unum binomine, hoc enim Sabellianum, ſed neceſſe tamen eſt duos eſſe, quia Pater & Filius ſunt. Unum nihilominus permanent propter DEitatis & Eſſentiæ Identitatem, quia Unus eſt DEUS. Dum autem unum dicimus DEum, duos mente concipimus

κατὰ τὸ ὁμοούσιον.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

pimus Patrem & Filium, unum exiſtentes, & DEitate, & eo, quod VERBUM à Patre indiviſibile eſt & inſeparabile. Ita ignis & ſplendor duo ſunt, quatenus ſunt & videntur, unum autem, quatenus Splendor, qui eſt ex lumine, ab eo indiviſus eſt.

τῷ εἶναι καὶ ὁρᾶσθαι.

14. Nos ſæpenumero etiam quando ſilentes cogitamus, operamur, ita ut etiam ex mentis conceptibus Idola fabricemus. Ariani autem DEum, cum ſilet nihil operari, nec niſi cum loquitur aliquid poſſe & valere ajunt.

ὥστε ἐκ τῆς ἐνθυμήσεως εἰδωλοποιεῖσθαι.

15. Non dicendum eſt: λόγον dum in DEO eſt, eſſe imperfectum, eundem eoipſo dum generatur perfectum fieri.

16. Objiciunt: Si DEus etiam tacendo, non-loquendo, non-gignendo eſt perfectus, ergo generatio fuerit ſupervacanea. Reſp. In DEO non eſt aliquando ſilentium, aliquando VERBUM. Sed ſemper DEus eſt DEus Pater, ſemper DEus Filius, non ſolâ cogitatione & mentis notione Filius, ſed exiſtens, & conſubſtantialis Patri.

οὐ κατ᾽ ἐπίνοιαν υἱὸς ἀλλ᾽ ὑπάρχων καὶ ὁμοούσιος.

17. Atqui, Si VERBUM antequam gignitur eſt in DEO, ergo quando jam genitum eſt, erit extra eum. Reſp. ex ſuperioribus: Τὸ Antequam, hîc locum non habet. DEus enim ſemper eſt Pater, ſemper gignens, & gignitur gignitque DEus, non extra, ſed intra ſuammet Eſſentiam.

18. Non ita cogitandum: quaſi proceſſus Filii ex Patre ſit Nativitas, Regreſſus porrò ejus in Patrem ſit generationis requies, quaſi verbo in DEO exiſtente rurſum conſileſcat Pater. Et ita ſit Filius hac

ἀναδρομή.

hac ratione Patris ſilentis requies. Nam cur eum DEus ex ſe prodire feciſſet, ſi ipſum revocaturus erat? Item: DEus hoc pacto ſilens, utrumne denuo alium loquetur λόγον?

σιωπῶντος ἡσυχία cur προεβάλλετο εἰ ἀνακαλεῖται;

19. Non dicendum cum Stoicis, DEum quando creat extendi & contrahi. Non enim Unitas dilatata facta eſt Trinitas, aliàs in DEo eſſet Paſſio, & corpus, & fieret in DEO, quod non eſt. Nec propter creationem unitas dilatata eſt in Trinitatem, poterat enim etiam unitas creare.

20. Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt ipſa Trinitas, nec Patre poſterior eſt Filius aut Spiritus, ſed hi tres ſemper ſunt unum.

21. Filius ait: Ego & Pater unum ſumus. Hoc autem nę quis Sabelliano more interpretetur quaſi Filius ſit ipſe DEus Pater, hinc alibi ſeſe explicat, quod ſit Filius DEI, qui eſt in Patre.

22. Uti Spiritus & Paracletus unum ſunt, etſi in V. Teſtam. Spiritus S. nunquam nominetur Paracletus. Ita non alius eſt VERBUM, alius Filius, nec VERBUM tum demum, cum incarnaretur, factus eſt Filius. DEus enim ab æterno fuit Pater, Filius fuit ab æterno ex DEO, & in ſinu Patris unigenitus.

23. Quemadmodum nihil potuit ab æterno in Sinu Patris conſiſtere, præter Unigenitum VERBUM; Ita nec potuit quicquam exiſtere, ante eum, qui eſt in Patre tanquam SUO, Contra Samoſatenſes.

24. Ajunt Samoſatenſes: Non λόγον eſſe Filium, ſed λόγον & Carnem eſſe demum Filium. Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

coaptatio cum carne non facit λόγον Filium DEI.
IMMANUEL enim non propter Carnem, ſed pro-
pter λόγον eſt Filius, de quo Pater jam ante incarna-
Pſal. 2. tionem dicebat: *Filius meus es Tu, hodiè genui te.*
Quod dictum non debet ad futuros actus referri,
quò Ariani id torquent. Planè quemadmodum ne-
Pſal. 33. que hoc: *VERBO Domini cæli firmati ſunt ad futurum*
referri poteſt. Unigenitus enim in Sinu Patris æter-
num quippiam eſt. Et fideles Veteris Teſtamenti
etiam ante incarnationem cenſebantur Filii DEI,
propter ſcilicet VERBUM Filium, perque eum ado-
ptati.

Pſal. 45. 25. Id, quod eſt in Pſalmis: *Eructavit cor meum*
Pſal. 110. *Verbum bonum.* Et: *Ex utero ante Luciferum genui te.*
Apoc. 1. Et: *Ego ſum primus & noviſſimus, principium & finis,*
οὐ τὸ Ἀν- non ſignificant humanam ſed æternam generatio-
θρώπινον nem, & explicatur τὸ ex utero in Novo T. per illud
ἀλλὰ τὸ *ex Patre.* Id autem: *Radix David, ſtella lucida matuti-*
Ἀΐδιον. *na*, juxta carnem dicitur.

Apoc. 22. 26. Sabellius ait: Patrem & Filium eſſe Per-
ſonâ unum, nomine duos. Et quemadmodum varia
dona ſunt ſed Idem Spiritus, ita DEum unum eun-
demque eſſe, ſed eundem dilatari in Filium & Spiri-
tum S. Verum enim vero, ita Pater, certâ ratione
erit Pater, aliâ iterum ratione Filius, aliâ denique
Spiritus Sanctus, & ceſſante ratione quâ Pater eſt,
vel quâ ut Patrem ſe manifeſtat, erit Spiritus San-
ctus, quibus omnibus quid dici poteſt abſurdius?

27. Cum dicitur, DEus erat VERBUM, tum VER-
BUM appellatur verus DEus, & eſt ipſa VITA, quæ

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

non facta eſt, ſed *erat ab initio apud Patrem ipſa Manus* I. *Joh.* 5.
& Dextera in Sinu Patris, per quam Pater omnia fecit, *Pſal.* 74.
juxta illud: Manus tua fecit omnia, manu tuâ eduxiſti populum tuum.

28. Scriptura ea, quæ ſupra hominem ſunt, humano more eloquitur. τὰ ὑπὲρ Ἄνθρωπον Ἀνθρωπίνως.

29. Samoſatenſium aliqui ajunt: Filium eſſe Chriſtum, VERBUM autem locutum eſſe per Filium-Chriſtum, uti per Prophetas. Sed Reſp. Cum Chriſtus dicitur, tum intelligitur utrumque, & VERBUM & Caro. Objiciunt autem: VERBUM per JEſum Chriſtum eſſe miſſum. Sed Æquivocationem vocis *Verbum*, quis non videt?

30. Ajunt Samoſatenſes: VERBUM eſſe DEUM, ſed tamen hominem aſſumtum à Verbo ſeparant, adeoque vilipendunt id quod ſcriptum eſt: VERBUM Caro factum eſt.

31. Qui audit VERBUM unitum eſſe Carni, is unum indiviſum & ſimplex Myſterium intelligat. Nam id, quod Angelus ad Deiparam locutus eſt, unitatem λόγου & hominis demonſtrat, dum ait: *Virtus Altiſſimi obumbrabit te, & quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius DEI.* *Luc.* I. Τὸ Virtus Altiſſimi, & τὸ Filius DEI hoc loco idem ſunt. Nam ὁ λόγος DEI Virtus, Brachium, Dextera, nobis perhumaniter unitus, primitiis noſtris amictus & quaſi contemperatus, meritò hæc nomina ſortitur. Ἀνακραθεὶς.

32. Homo eſt Verbi factura, hunc Hominem VERBUM dum Caro fit, in ſe recipit, atque hanc ſibi unitam carnem in diviniorem ſortem adducit, evehitque. εἰς θειοτέραν λῆξιν.

 33. Co-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

33. Cogitemus CHRISTUM eſſe utrumque: Videlicet VERBUM, ei quod eſt ex Mariâ, unitum. In ipſius enim utero, VERBUM ſibi extruxit Domum.

34. Salomon ſciens VERBUM etiam appellari
Prov. 9. ſapientiam, inquit: *Sapientia ædificavit ſibi Domum.* Salomon extruxit Templum ex lapidibus. Hujus Templi (corporis Chriſti) Imaginem. Quæ domus apparente Veritate evanuit. Judæi contrà, volebant imaginem & Umbram rei eſſe rem ipſam, & ipſum Verbi corpus, quod erat verum Templum, deſtruere: ſed è contrario, ea, quæ Judæorum erant, deſtructa ſunt.

35. Verbi coadunitio cum homine ex Mariâ
Ἀνάδειξις. nato, nunc Unctio, nunc miſſio, nunc Demonſtratio nominatur.

36. Samoſatenſis Judæorum diſcipulus eſt, dicentium Chriſto: Quomodo, homo cum ſis, DEum te facis? Nos autem Chriſtum & DEum & Hominem eſſe dicimus. Et Chriſtus ipſe Samoſatenum redarguit, CORPUS SUUM dicendo. Non dicit Chriſtus: Secus me vel juxta me habeo λόγον tanquam alium à me, ſed tanquam ipſum mecum, & me, cum ipſo. Ego enim VERBUM, ſum Unctio, & id quod à me unctum eſt, homo eſt.

37. Poſt reſurrectionem, corpus Idem, clauſis
ξυνωείδα. oſtiis ingreditur, ad totum Apoſtolorum collegium, & quicquid in hac re eſt difficultatis, ſolvit, dicens: *Tangite Me.* Non dicebat, tangite Hominem, quem ſuſcepi, ſed tangite ME, imo Thomæ tractandas &

viden-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

videndas præbet cicatrices, & quidem *Manus eas SUAS, latus PROPRIUM nominat*, & totum ſe Hominem & DEum ſimul dicit. Videlicet; ipſo λόγῳ ſen ſum ſui, Sanctis, per corpus ſuum præbente, dum fores clauſas penetrando, rectà cum corpore iis adſtat. πλευρὰν ἰδίαν παρεῦθυ παρεστώς.

38. Miſſio λόγου, ſignificat unitionem ejus ad JEſum è Mariâ natum, vi cujus unionis, natura hominibus inviſibilis, mediante Viſibili, hominibus innoteſcere cœpit. Idcirco ipſe JEſus, ideò quod DEO λόγῳ unitus eſt, dicit: *à me non veni, nam pater miſit me*. Ἀποστολή. Job. 7.

39. ὁ λόγος, volens inviſibilem ſuam naturam, per viſibilem, hominibus manifeſtam facere; carne ſe nobis præſentem ſiſtere voluit. Non tamen ita (localiter) ut univerſa DEI Præſentia intra carnem ad modum parvitatis noſtræ comprehenſa lateret, neque enim DEus locis continetur.

40. Unus Idemque CHRISTUS cenſeri debet DEUS VERBUM, & Filius Mariæ, unus idemque ille, qui à Patre ante ſecula, extremis temporibus è Virgine natus eſt. Inviſibilis antehac etiam Poteſtatibus in cœlo, nunc autem viſibilis redditus, & DEITATIS cum homine unione, & ejusdem DEitatis per humanitatem operatione. Ita DEus totum hominem reſtauravit, proprium ſibi eum reddendo & quaſi vernaculum. τῇ πρὸς ἑαυτὸν οἰκειώσει.

Αὐτῷ τῷ Χριστῷ Σέβας καὶ προσκύνησις, ὃς ἦν πρώην, καὶ νῦν, καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς Αἰῶνας.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

ERRATA.

PAg. 20. *Lin. ult. pro* λεζείδια, *lege* λεξείδια & *debuerat vox hæc margini pag.* 21. *ad lin.* 1. *apponi.*

Pag. 22. *Lin.* 9. *pro aliam lege Alium.*

Pag. 25. *ad* §. 8. *in marg. lege* Φῶς ὢν ἀφεγγὴς ἦν.

Pag. 27. §. 16. *ad marg. pro* γενητὸν *lege* γεννητὸν,

Pag. 31. *Lin. ult. pro illic lege illi.*

Pag. 33. §. 3. *ad marg. pro* ἔνεργεια *lege* ἐνούσιος ἐνέργεια.

Ibid. Lin. 27. *Addatur ad finem Aphoriſmi 4ti: Conſer infrà* §. 40. 50.

Pag. 38. §. 26. *pro ipſium lege ipſum.*

Pag. 39. *ad marg. pro* Ἀγεννήτως *lege* Ἀγεννήτως.

Pag. 44. §. 52. *pro crea- lege creatis.*

Pag. 61. §. 63. *pro genuitatem lege genuinitatem.*

Si quid aliàs viſum fugerit id æquus Lector corrigat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-474 4° 1986